



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Wd. 5.
3.

DISSERTATIO JURIDICA
DE

ALAPA

QUAM
JUVANTE NUMINE SUPREMO

MAGNIFICI FCTORUM IN ILLUSTRIS HAC
VIADRINA ORDINIS PERMISSU

PRÆSIDE

DECANO SPECTABILI

DN. SAMUELE STRYKIO, J.U.D.

COMIT. PALAT. CÆSAR. ET PANDECT.
PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO.

DN. PATRONO, PROMOTORE ATQUE PRÆ-
CEPTORE ÆTATEM DEUENERANDO

DIE AUGUST. ANNO M. DC. LXXV.

HORIS ANTEMERIDIANIS CONSUETIS
PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

AUTOR

CHRISTOPHORUS Seidel /

OLSNA SILES.

FRANCOFURTI AD VIADRUM,
Typis JOHANNIS ERNESTI, ACAD. TYPOGR.



DISSERTATIONIS
DE ALAPA
PRÆLOQUIUM.



Olemne Germanis dictum est, *atiff ein Etcatera solget eine Ohrseige*; Sed non dictum saltem, verum praxi quotidianâ comprobatum. Nec enim uspiam proniorem ad remunerandum videbis hominem, quàm si manu prompta, quod malevolo debetur ori, exsolvendum. Nec id injustè semper: Quippe non grave erit, ut si mala in alterum eructes, malâ vicissim doleas, & manu ori tuo effrenato pessulus obdatur. Sed uti cum bonjs nobis res est, ita *Leçtori Benevolo* nullus à Disputatione nostra metus. Amicum potius de odiosa hac materiâ, malis tamen quandoque debita, imò quandoque præmiis affecta, nobiscum instituet colloquium. Nec colloquii hujus Academici causam desiderabit anxie, quippe quam in promptu habeo faciliq; negotio reddam. Scilicet mentes non adeo multi sunt, cum clausulam ETCÆGERA variis exemplis illustratam publicè examinandam exhiberem. Vix conscripta erat illa Disputatio, ubi præsens materia, tractationi Academicæ semet commendabat, unde mox animum induxi, quæ de *Alapâ* disponerent jura, privato studio colligere ac superiori de *Etcatera* Disputationi tanquam pedissequam certam, subjicere. Hæc igitur B.L. occasio est, quæ me ad Alapam offerendam impulit. Et licet hæctenus haud paucos deprehenderit, qui manuquidem satis promptè Alapas tractare sciverint; Attamen qui

specialiter Alapâ ingenium exercere sustinuerit, hæc tunc vidisse licuit neminem; nisi alapis ingenia puerorum exerceri, sed fortè destrui, dixeris. Ideoq; spero me rem non profus fecisse ingratham, dum partim illa quæ sparsim à Dd. de Alapa tractantur collegi, partim & quædam ex mei ingenii, utut parum instructi, penu adjeci. Accipe proinde B. L. Alapam hanc vultu benigno, eamq; ex intentione offerentis dijudica. Jocosa quidem nonnulla hinc inde reperies inspersa, quæ tamen fortasse non displicebunt. Ecquis enim austerum semper imitabitur Catonem? Nam omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

CAPUT I. DE ALAPÆ DESCRIPTIONE NOMINALI & REALI.

SUMMARIÆ.

| | | |
|---------------------------------|-------|------------------------------------|
| A lapa Etymologia | n. 1. | Expilatio capillorum vel barbe, |
| Synonymia. | 2. | item incensio barbe atrox inju- |
| Rhapisma quid propriè denotet. | 3. | ria. 12. |
| Henrici Imper. filia dicta fuit | | Verbera servilius quid sunt quàm |
| Waultaschin. | 4. | alapa. 13. |
| Quid sit alapa? | 5. | Verberare & pulsare quomodo dif- |
| An quando os feritur. | 6. | ferant & verbera servilia quid |
| Divisiones alape. | 7. | fuerint? 14. |
| Affinia alape sunt Colaphus. | 8. | Fetus fustium & flagellatio quo- |
| An pugno fiat alapa? | 9. | modo differant. 15. |
| Talitrum quid. | 10. | Fetus fustium gravior est omni pæ- |
| Das Pritschen unde ortum? | 11. | nâ pecuniaria. 16. |

I.



Lapam ne illotis, quod dicitur, manibus tractare, Methodiq; receptæ leges negligere videar, pauca quædam de ipso nomine mihi præmittenda erunt.
Esse

Esse vero hoc Latinum idq; primitivum, ut vocant, vix dubium est: Quanquam *Matth. Martinii in Lexic. Philolog. hac Voc.* id ab ἀλαπαῖζω vacuo, vasto, deripio, derivare velit; Alii ἀκολαπῶω ferio, quam rem aliis relinquo. Cæterum occurrit Alapæ vox in *Nov. 81. proæm.* qua etiam utuntur *Senec. Epist. 1. Martial. l. 5. Epigr. 62.*

Synonymon vocabulum sermo Latinus vix suppeditat. 2.
Nonnulli tamen è Dd. nostris Maxillatam eam nominare amant, inter quos est *Prosper Farinac. in Prax. Crim. quest. 125. n. 361.* *Arnobius Salapitta* vocabulo loco Alapæ usus dicitur. Græcis vero audit Rhapsima, quæ vox habetur in *l. 6. C. de Emancip.* item aliquoties in Nov. Test. Sic *Job. 19. v. 3. hac leguntur verba: ἐδίδεν αὐτῷ ῥαπίσματα.* Sic *Marc. 14. vers. 65. καὶ οἱ ὑποηέσαι ῥαπίσμασιν αὐτῶν ἑβάλον.* Et ministri alapas illi impingebant. *vid. & Job. 18. v. 22.* Quanquam aliqui velint, Rhapsima icum vindictæ seu virgulæ Prætorix denotare, cum ῥαπίς significet virgam seu fustem, hinc ῥαπίζω, fuste seu baculo cædo, *vid. Godofr. ad d. N. 81. Cujac. l. 5. Obs. 13. Georg. Pasor. in Lexic. Græc. voc. ῥαπίς:* Interim tamen denotare potest etiam alapam; Confer. locus ex *Matth. 5. v. 39. ubi: ὁσὶς σε ῥαπίσει ἐπὶ τὴν δεξιάν σου σιαγόνα, qui te cadet in dexteram maxillam.* Porro & Græcis, ut quidam volunt, dicitur Κόλαφος, unde Latini suum Colaphus deduxerunt; inde Terentius in *Adelph. Colaphis tuber est totum caput,* de quo *infran. 8.* Germanis dicitur *Dhrseige/Backenstreich/Maulschelle/4. Maultasche;* quæ ultima denominatio in memoriam mihi revocet *Margaretham Imperatoris Henrici filiam, welche umb ihres artlichen Mundstücks willen / die Maultasche genennet worden / vid. Diether. in Addit. ad Besold. Thesaur. Præf. Voc. Maultaschen/* seu ut effert *Andr. Angeli in Annal. Marchic. l. 2. ad ann. 1342.* wegen ihres abscheulich grossen Maules/ qui tamen testatur fuisse filiam *Henr. Ducis Carinthiæ,* quam postea *Ludov. Marchio Brandenb. matrimonio sibi junxit.* De originatione verò horum vocabulorum parum ero sollicitus. Quod tamen attinet vocem *Dhrseige* nescio an illa à Germ. *Seige/nominata sit,* quod timidum forte oporteat eum esse, qui alapas patienter fert. *Tener hat einen eine Seige zugesand / ihm zu verstehen gebend / er sey seig und ver-*

- verzagt/der ihm aber alsobald Maulbeer hingegen geschickt mit ver-
sprechen / daß er denselben noch vielmehr von seinen eigenen Händen
zu empfangen haben sollte. *Zeiler. Cent. 2. Epist. 5.*
5. Hisce præmissis Alapam describo, quod sit ictus porrectâ
manu maxillæ incussus. Infigitur itaq; Alapa manu & propriâ
quidam palmâ. Perinde vero est interiori an exteriori manus
parte (mit verwandter und umgekehrter Hand) maxillâ percutia-
tur: Alapa tamen etiam tunc merito vocatur, quando os alicu-
jus feritur §. 6. *Instit. de injur. l. 7. inf. ff. eod.* ubi tamen os pro fa-
cie sumitur, notante *Godofr. ad d. l. 7. lit. L.* Hinc colligitur, suffi-
cere ad alapam, modò quis in facie palmâ percutiatur, licet
præcisè maxilla non sit. Quod si vero caput aut saltem nasi ex-
tremitàs, aut labia digitis feriantur *alapa* non erit, qua de re mox
plura. Neq; abs re est talia ab invicem separare, uti videbimus
Cap. ult.
7. Divisio alapæ intuitu causarum multiplex est. Sic ratione effi-
cientis alia justa est, alia injusta; alia ex ira, alia ex amore profecta;
alia vera, alia quasi, uti est admenatio, qua de inferius, cap. fin. Ra-
tione formæ alia perfecta, alia imperfecta, utpote cum manus
aberrat & quodammodo saltem maxillam ferit; Alia cum sonitu
wenn es klatscht oder patscht/ alia absq; sonitu. Spectant huc ala-
pæ Mimorum mutux inspectaculis theatralibus usitata; ad risum
excitandum. Ratione finis alia honesta *vid. cap. 3.* alia inhonesta
quæ datur ignominia; ergo; alia seria, alia jocosa, alia punitoria,
alia remuneratoria, alia vindicatoria &c. quæ distinctiones exem-
plis illustrabuntur in seqq.
8. Affinia Alapæ sunt Colaphus; qui fit pugno, *Godofr. ad l. 16.*
§. 6. *ff. de Pæn. lit. X.* Et licet Colapho eandem atq; Alapæ signi-
ficationem multi tribuant, non tamen id admittunt textus N. T.
ubi *κόλαφος* & *εὐπισμα*, quod propriè Alapam denotat, sem-
per separantur. Sic *Matth. 26. v. 67.* legitur *ἐκκόλασαν αὐτὸν*
οἰδὲ ἑπισήσαν, vid. Marc. 14. v. 65. 2. Cor. 12. v. 7. ubi verso Germ.
9. *babet*, mit Säusten schlagen. Alapa vero propriè non fit pugno,
sed palma, uti superius dictum: Quanquam & si mala pugno
percutiatur id, licet impropriè, pro alapâ accipi possit, propter
11. *l. ii. pr. ff. de injur.* Porrò affine est, Talitrum quod propriè de
notat

notat illisionem unguis in frontem ein Schnellſing/ & teſtatur de Tiberio *Sueton.* adeo firmis ipſum fuiſſe digitis, ut & pueri vel adoleſcentis frontem talitro vulnerare potuerit: Vel denotat etiam talitrum illiſionem digiti in naſum, *Naſenſtieber.* Huc ſpectat quoq; illiſio manus in caput, *Kopffſtücke.* Nec adeo a-
 II
 lienum ab hac materia eſt das *Pritſchen/* quem morem à Romanis ad Germanos dimanaiſſe, opinatur *Speidel. in Specul. Jurid. Voc. Pritſchen/Pritſchmeiſter.* Item Expilatio capillorum vel barbæ, quæ gravis injuria eſt, *vid. c. un. pr. verſ. ſi quis aliquem. 2. F. 27. Schneidew. ad Inſtit. de injur. n. 8.* & atrociffimam dicit injuriam incendere alicui barbam *Farin. Pr. Crim. q. 105. n. 180.*

Verbera vero gravius quid ſunt atq; ſervilius quàm alapa, & maximè ſi quis à privato fuſtibus aut baculo fuerit cæſus, a-
 13
 trox reputatur injuria, *vid. Farinac. q. 105. n. 215.* Alapam autem paſſus abuſivè ſaltem dicitur verberatus in l. 15. §. 40. ff. de injur. Cæterum inter pulſare & verberare, pulſare & vapulare quid
 14
 interſit, *vid. Tholoſan. Syntagm. Jur. Univerſ. l. 38. c. 3. n. 14. ſeq.* Et verbera ſervilia, fuiſſe instrumenta quibus ſervi ſolebant rum-
 pi, patet ex l. 12. ff. de jur. fiſc. ubi *Godofr. in Not. lit. C.* Tandem & Jctus fuſtium mentio injicienda eſt, qui fiebat baculis ſeu fu-
 15
 ſtibus corpore non denudato, *Prügeln:* Flagellatio vero fiebat corpore denudato, *Stäupen/* quæ poenæ non infamant, niſi in-
 fligantur propter cauſam famoſam per L. *Jctus fuſtium. 22. ff. de his qui not. infam.* Jctus tamen fuſtium ſolus longè gravior eſt
 16
 quavis poenâ pecuniaria, l. 10. in fin. ff. de Pen. Sed ſufficiant hæc de Nominis evolutione dicta; nunc ad ipſam Alapæ realeam tractationem tranſeundum, itaq; eſto

CAPUT II.

DE ALAPÆ CAUSA EFFICIENTE ET SUBJECTO ACTIVO.

SUMMARIA.

Quanam & quotuplex alape | An manu digitis carente poſſit a-
 cauſa efficiens. 1. & 2. lapa dari? 3.
 Quod-

| | | | | |
|---|---|--|---------------------------------|--------------|
| <i>Quodnam subjectum alapa actio</i> | <i>Filius propter alapam patri datum.</i> | <i>4</i> | <i>etiam exheredari potest.</i> | <i>17.</i> |
| <i>Pater licite dat filio alapas</i> | <i>5.</i> | <i>Quid si alium percussurus feriat</i> | | |
| <i>An maritus uxori?</i> | <i>6. seq.</i> | <i>patrem?</i> | | <i>18.</i> |
| <i>An uxor propter alapam acceptam</i> | | <i>Uxor marito alapas dare nequit.</i> | | <i>19.</i> |
| <i>possit divortium petere.</i> | <i>8</i> | <i>Quid si hoc faciat.</i> | | <i>20.</i> |
| <i>Dominus seruo potest dare alapas,</i> | | <i>Quid si maritus de victoria de-</i> | | |
| <i>& an idem in famulos bodier-</i> | | <i>speret.</i> | | <i>21.</i> |
| <i>nos liceat?</i> | <i>9. seq.</i> | <i>Quid si sponte uxori imperium in</i> | | |
| <i>Quid si tutor vulneret famulum.</i> | <i>12</i> | <i>se permittat maritus?</i> | | <i>ibid.</i> |
| <i>An Praeceptores discipulis licite</i> | | <i>An famulus percussus Dominum</i> | | |
| <i>dent alapas?</i> | <i>13.</i> | <i>repercutere valeat?</i> | | <i>22.</i> |
| <i>Quid si baculis eos vulneraverint?</i> | | <i>Sacerdoti alapam cuiuspiam dare</i> | | |
| | <i>14.</i> | <i>prohibitum est.</i> | | <i>23.</i> |
| <i>An quis sibi ipsi possit alapam dare</i> | | <i>Quid sentiendum de iis qui in po-</i> | | |
| | <i>15.</i> | <i>pinis cum rusticis manus con-</i> | | |
| <i>Qui nam licite alapas infligere non</i> | | <i>serunt.</i> | | <i>24.</i> |
| <i>possint.</i> | <i>16.</i> | <i>Transitio ad sequentia.</i> | | <i>25.</i> |

I. **E**fficientem Alapæ causam statuo aliam principalem aliam instrumentalem. Illa animus est, hæc palma. Et prout erunt animi affectiones diversæ, ita & Alapæ diversa erit consideratio. Aut enim commovetur quis ad Alapam alteri infligendam irâ, utpote cum læsus vindictam expetit, aut amore, utpote cum parentes teneræ sobolis, aut amans amatiæ suæ genas placidâ palmâ demulcent leniterq; feriunt: Aut desiderio corrigendi, quod facere videntur in Scholis puerorum Formatores: Aut fit animo testandi de impetrata libertate, uti olim in Emancipationibus, vel hodie in concessione juris gladium gestandi, *vid. cap. seq.* Et ex his facile etiam est iudicare de Alapæ Fine.

2. Instrumentalem Alapæ causam eamq; immediatam manum & in specie palmam indigitavi. Absq; hac enim propriè alapa fieri nequit. Licet namq; quis animum habeat firmumq; propositum alterum alapâ affiendi; manibus si destitutus fuerit, NON

non erit, ut quispiam sibi de Alapa immediatè ab ipso accipi-
 enda metuat. Sed quid si quis manum quidem habeat, sed unico
 saltem aut nullo instructam digito, an & hic Alapam alteri po-
 terit impingere? Puto quod sic, cum palmaria manus pars adhuc
 supersit, nempe palma seu metacarpus. Jam vero à potiori fit
 denominatio, *arg. l. 10. ff. de Stat. hom.* Neq; omni hæc quæstio
 caret usu, utilis quippe tunc est, quando Statuto Alapæ certa
 poena dicitur, quam sanè luere haud poterit, qui alapam non
 dedit, cum poenalia strictè sint capienda *per c. Odis. de R. J. in 6.*
vid. inferius cap. ult. Ex his etiam simul patet alapæ Forma.

Subjectum Activum constituunt personæ Alapam infligen-
 gentes, ubi primò producam eas, quæ licitè hoc facere possunt;
 Qua in re generali me expediam Axiomate, & quidem tali: *Cui-
 cunq; in alterum permessa est modica coërcitio seu castigatio, illi & jus
 alapas infligendi concessum est.* Ratio, quia Alapa est species mo-
 dicæ castigationis; nullum enim damnum per alapam infertur.
Marant. in Specul. p. 4. dist. 1. n. 9. Exemplum ergo esto

1. In Patre, qui dubio procul filii immorigeri inobedi-
 entiam alapam coërcere valebit. Licet enim eadem, qua olim pa-
 rentes in liberos potestate, de qua *Dionys. Halicarnass. lib. 2.* ampli-
 us non gaudeant, cum non in atrocitate, sed pietate patria po-
 testas consistere debeat, *l. 5. ff. ad L. Pompej. de Parricid.* Neuti-
 quam tamen leviori castigatione in liberos immorigeros uti pro-
 hibitum est parentibus, *l. un. C. de Emend. propinq. l. 3. C. de patr.
 pot. l. 6. §. 2. C. de bon. quæ liber. Soto de J. & J. l. 5. q. 2. art. 2. Quin
 & citra carceris privati poenam, de qua vid. l. 1. C. de privat. Carc.
 filium clausum detinere potest, quia hoc ad correctionem mo-
 rum, non ad custodiam facit, vid. Job. Schneidew. ad Instit. de patr.
 potest. n. 27.*

2. Exemplum esto in marito. Illa quidem potestas marita-
 lis, quam certo modo ad jus vitæ & necis extendit *Job. Frid.
 Horn. in Architect. l. 1. c. 1. §. 5. n. 8. seqq. Puffend. de J. N. & G. l. 6.
 §. II.* Quæq; revera multis gentibus competiit, *vid. Dn. Lederer.
 de Jure Belli privat. l. 2. c. 4. §. 8.* meritò desit: Interim tamen
 jus modicè coërcendj uxorem marito denegandum non est, *arg.*

B

l. 3.

l. 3. §. 3. ff. ad Sē. Syllan. Nov. 117. c. 14. add. Carpz. Pr. Cr. q. 12. n. 50. Soto de J. & J. l. 5. q. 2. art. 2. ita quidem ut effrenis uxoris malitia atque contumacia etiam verberibus, si verba careant effectu, expelli possit, *conf. Dn. Lederer. d. l. §. 10. Dn. Cbaris. de Foro Conscient. c. 2. n. 79. seq.* Et licet jure Civil. aliàs maneat uxor in potestate patris, §. 2. *Inst. ad Sē. Tertull. l. 5. C. de Condit. insert.* Canon. tamen & consuetudinario jure est in potestate mariti, *vid. Wesenb. ad t. ff. de R. N. n. 6. ibiq. Hahn.* quæ consuetudo se fundat in jure Divino, *Gen. 3. v. 16. conf. Nobiliss. atq. Ampliss. Dn. D. Frider. Stryke, Dissert. de Decreto Interimistico c. 2. n. 114.* Quo

7 posito sua sponte sequitur, etiam maritum licitè alapas infligere uxori. Sed hanc potestatem non exercet maritus, nisi necessitate exigente, cum sint conjuges una caro, ideoq; regenda potius uxor pudore quàm atrocitate, amore & benevolentia argumentis; non jurgiis aut tristi severitate. Quomodo autem amor & alapæ iratæ conveniunt? Sanè in una sede vix poterunt morari. Nostrates enim fœminæ non sunt ejusdem cum Russicis indolis, quæ vulgò dicuntur amore mariti erga se ex verberibus colligere, cujus meminit *Horn. in suo Orbe Polit.* Quod tamen à plurimis inter fabulas refertur, quibus faciliè assentior. Et meritò etiam improbantur versus illi, in odium fortè fœminarum excogitati:

Nux, asinus, mulier simili sunt lege ligati.

Hæc tria nil rectè faciunt, si verbera cessant.

conf. Harprecht ad §. 11. Inst. de injur. n. 24. ubi turpe & periculosum judicat uxores verberibus afficere, *vid. & Soto de J. & J. l. 5. q. 2. art. 2.* Sunt enim Barbari qui uxoribus ut mancipiis utuntur, ut *idem* refert ex Aristotel. Et maximè quidem prægnantibus parcendum, ne calamitas matris noceat illi, qui est in ventre, *pr. Inst. de ingen. vid. D. Mengering. Scrutin. cons. c. 9. q. 113. seq.*

8 Hinc quæstio emergit, an uxor propter alapam acceptam possit divortium petere? Distinguendum hic erit, an culpa uxoris præcesserit, & ita non poterit, quia maritus tunc suo jure fuit usus, ergo nemini fecit injuriam, l. 13. §. 1. ff. de injur. Neq; poterit dici uxor immoderatè verberata, quæ alapam est passa. *Farinac. q. 143. n. 104.* Justæ verò inter alias causæ uxori alapas dandi erunt illæ, quæ de Jure Civili ad divortium sunt sufficien-

tes

tes, *arg. N. 117. c. 14.* Ergo si uxor ignorante marito extra ædes noctu manserit, vel cum viris extraneis convivata sit, vel comædiis interfuerit, utiq; domum reversa a lapis à marito excipi poterit, *d. N. 117. c. 8.* An verò uxoris nulla culpa præcesserit: tunc si maritus jure suo abutatur, merito eodem privandus erit, per regulam generalem, quod quicumq; abutitur suo jure, se reddat eo indignum. Ergo si maritus a lapas citra causam sæpius reiteret, audienda erit uxor, si divortium parziale seu separationem à thoro & mensa petierit, & eo citius quidem si alaparum tanta fuerit vis, ut & sanguinem elicuerint. Satis enim exinde sævitia mariti apparet, ob quam divortiū permittitur. Ita & aliàs innocenter verberata uxor divortii auxilium implorare potest. Scil. absq; causa quæ alias de jure Civili ad divortium sufficit, per *l. Consensu 8. inf. C. de repud. N. 117. c. 14.* Jam vero & manu percussus dicitur verberatus in *l. 15. §. 40. ff. de injur.* Quod extendunt Dd. ut si ferula aut baculo maximè in capite aut facie fuerit percussa, etiam privata autoritate à marito divertere possit, *vid. Farinac. q. 143. n. 189. seqq.* Unam vero atq; alteram alapam patienti animo uxor feret, memor illius, melius esse mala pati quàm facere.

3. Sic porrò Domino in servum modica castigatio permiffa est, *vid. l. un. C. de Emend. Serv. l. 11. §. 1. ff. de pæn. ad quam haud dubie spectat alapæ incussio.* Aliàs vero supra modum in servos sævire non licet, juxta *§. 2. Instit. de his qui sunt sui vel alien.* Sed an idem jus hodiernis Dominis in famulos suos competat, quæstionis est. Ab his ante omnia separandi erunt subditi; in hos enim plus juris competit Nobilibus, quàm in famulos mercede conductos; Quanquam & in illos justo durius si animadvertant Nobiles, jurisdictione privari possint, cum liberi homines, quales rustici nostri sunt, durioris conditionis esse non debeant, quàm olim servi, *conf. Gail. lib. 1. Obs. 17. n. 2. Job. Philipp. Usu Pr. Inst. l. 1. Eclog. 43. n. 3.* Quod ergo attinet famulos nostros, puto nullum jus alapam ipsis infligendi Dominis competere, quia tantùm nobis sunt obligati ex contractu Locati conducti ad operas præstandas. Quemadmodum ergo cum operarium alium conduco, nullum jus ipsum verberandi consequor, ita nec cum famulum.

conduco, quia par utrobique est ratio; Imò ne quidem verbis injuriosis talem castigare valeo, secus injuriarum actione conveniri potero, quia Domini in honorem & corpus familiarium nulla est potestas: quod exemplo Dominae cujusdam, quæ ancillam vocaverat eine Schandhure/ cum tamen nihil turpe in illa demonstrare posset, docet *Mev. Comment. ad Jus Lubec. lib. 3. r. 8. art. 10. n. 16.* Nam licet aliàs servis injuria non fiat, §. 3. *Inst. de injur.* id tamen ad nostròs famulos applicari nequit, cum sint homines Liberi. Et in specie in Hispania nulli Domino jus alapam servo suo infligendi competit, testante *Zeiler. cent. 2. Epist. 5.* Hoc singulare, quod in illo qui Dominus vel magister est, licet injuriosis utatur verbis aut verberibus, animus injuriandi non præsumatur, *l. 5. §. Si magister 3. ff. de L. Aquil. Gail. lib. 2. Obs. 106.*

II *Mev. d. l. n. 19.*

Hæc tamen quæ jam adducta sunt, limitanda erunt, si Famulus simul ad educandum vel in arte informandum tradatur; tunc enim levis castigatio permessa est *d. l. 5. §. 3. inf. ff. de L. Aquil.* & per consequens alapa non est prohibita. Ergo poterit v. g. Sutor famulo licitè alapam impingere. Sed quid si formà calcei vulnera eidem incuriat? Tunc sanè ex *L. Aquil. de damno dato* contra ipsum agi poterit, uti clarè decisum in *d. l. 5. §. 3.* Quid vero judicandum erit de Præceptoribus, an & illi licite alapas suis discipulis infligunt? Puto hanc pœnam non excedere Scholasticæ Jurisdictionis limites, cum leviter castigare valeant pueros *d. l. 5. in f. ff. ad L. Aquil. Soto de J. & J. l. 5. q. 2. art. 2.* Imò & jus habent pueros virgis cædendi, quod plus est quàm malas manib9 visitare. Ergo cui competit id quod majus est, eidem & id quod minus est, concessum viderur, *l. 21 ff. de R. J. c. 53. de R. J. in 6.* Quod si vero baculis usi vulnera capiti puerorum incusserint, utiq; ex *L. Aquilia* conveniri poterunt. Nimia enim Præceptoris sævitia, culpæ assignatur, *l. 6. ff. ad L. Aquil. quales sævientes Præceptores, plagiosos Orbilios nominat D. Mengerling. in Scrutin. Consc. cap. 9. q. 124.* Et ne servum quidem cicatricibus deformare licebat, *l. 17. §. 1. in f. ff. de usufr.* Ergo multo minus pueros ingenuos, quibus verbera minimè conveniunt. An vero magister in castigando modum excesserit, arbitrio judicis relinquatur, *Farinac. q. 105. n. 134.*

Sed

Sed an quis sibi ipsi alapam dare poterit? Respondeo distinguen-
do, aut facit hoc volenter, aut coactè: affirmo verò utroq; modo. **15**
Nam licet priori casui obstare videatur, quod nemo sit membro-
rum suorum Dominus; hic tamen nulla vis corpori infertur, nisi
forte ita intendatur ictus, ut & sanguis è naribus stillet, sic enim
secus sentiendum foret. Posteriori vero casu facit id in pœnam
jubente iudice. Namq; receptum est in nonnullis locis, ut injuri-
ans cum percussione oris injurias revocare teneatur, er muß sich
auffe Maul schlagen und wiederruffen/vid. *Matth. Berlich. p. 5. concl.*
62. n. 38. Quod si vero quis ex contumaciâ hoc facere renuat, ip-
sius vice carnifici hoc faciendum demandari potest.

Vidimus itaq; personas palmarias, quæ certo modo alapas **16**
licitè infligere valent, nunc subjiciendæ sunt illæ, quibus hoc jus
nullatenus competit. Et quamvis non videatur è re esse specia-
liter illas referre, cum omnes qui hoc licitè non faciunt, faciant
id illicitè; Attamen melioris ordinis ergo & hic Axioma forma-
bimus à contrario sensu tale: *Quicumq; nullum jus alterum casti-
gandi habet, ille nec licitè eidem alapas infligit.* Ratio, quia nega-
to genere negantur omnes species: Alapa vero species est casti-
gationis modicæ. Sit ergo exemplum

(1) In filio qui nullo modo potest patri dare alapas, secus **17**
si fecerit haud dubie exhæredationis fulmine feriri merebitur,
quia alapa gravis est injuria, uti inferius demonstrabimus *cap. ult.*
n. 64. Jam vero propter gravem patri illatam injuriam filius
exhæredari potest *per N. 115. c. 3.* ubi in specie subjicitur, ob manum
impiam patri illatam, locum esse exhæredationi. Sed quid si per-
cussurus alium, patrem feriat? Hoc casu exhæredationi locus **18**
non esse videtur, quia omne delictum fit ex animo & intentione
arg. §. 7. Inst. de obligat. quæ ex delict. c. 2. c. 6. §. 8. caus. 32. quest. 5.
Jam verò hic animus ferendi patrem non adfuit. Puto tamen
attendendum esse, an pœnitentia subsequatur, an non; hoc enim
calu præsumendus potius erit filius id fecisse dolo & è proposito,
quia ut actio possit dici invita, inter alia quoq; requiritur subse-
quens pœnitentia. Obstare quidem videtur (1) Regula illa:
Quoties quis versatur in re illicita, toties tenetur de omni quod

B 3 *videtur, ut illi* exin-

exinde sequitur. (2) *L. Eum qui nocentem. 18. §. 3. ff. de injur.* ubi statuitur etiam contra illum, qui ex errore aliquem affecit injuriâ, dari actionem injuriarum. Sed resp. (1) ad dictam regulam, illam saltem procedere, quando factum præcedens est immediata causa damni subsequenti, quod hoc casu non est. Ea enim, quæ non immediate, sed per accidens eveniunt, cum non fuerint in intentione agentis, non parem merentur animadversionem, ac quæ directo intendebat delinquens. (2) Negari quidem nequit, errorem in persona commissum; non liberare ab injuriarum actione, quoties animus alterum injuriandi adfuit. Interim tamen quia gravis injuria requiritur, ut filius exheredari possit in *d. N. 115. c. 3.* qualis hoc casu non est, mitior in dubio eligenda erit sententia, & odia restringenda, *c. odia. de R. J. in 6.* Et licet inferius Alapa inter atroces injurias referatur, id tamen intelligendum, si alicui ex proposito & dolo infligatur. Multo magis vero quæstionis decisio obtinebit, quando filius aliquem, forte famulum, ex justa causa alapa percutere velit, & ex errore patrem feriat. Sic enim in re licita versatus fuit.

- (2) Nec poterit unquam uxor marito alapam infligere, cum huic subjecta sit eidemq; obedientiam debeat, juxta ipsius Sacrae paginae præceptum, *1. Petr. 3. v. 1. Ephes. 5. v. 22. seq. 1. Cor. 11. v. 3. Coloss. 3. 18.* hinc & uxor dicitur in manu viri esse *Ulpiano in Instit. 1. 22.* quem refert *Magnif. Dn. Prasfes Tr. de Jure Sens. Diff. 7. c. 1. n. 5.* Ergo si qua uxor audet marito suo audaces inferre manus, graviter eadem contra Divini Numinis leges peccat, *conf. Farinac. q. 125. n. 108.* Quid autem viro, si fors ipsi ejusmodi Carfaniam, qualis describitur in *l. 1. §. 5. ff. de postuland.* adjecerit, faciendum? Fortè non iniquè jure retorsionis utetur, etiam cum quodam excessu, cum jus castigandi uxorem competat marito, *supra num. 6.* Ergo si fortè crinibus eandem non nihil ad obedientiam traxerit, forte non poterit dici modum in castigando excessisse. Nam ut duo magni nominis Jcti ad *can. quacung. dist. 30.* festivè annotarunt, ideo relicti sunt fæminis crines, ut viri invenirent in illis, quo trahi possint & ligari, *vid. Arnisausin Doctr. Pol. l. 1. c. 3. p. 61. Dn. Charif. de Foro cons. 6. 2. n. 79.* Quam sententiam tamen non fecero meam. Imò maritos

ros, qui hanc injuriam verberibus non repellunt, vecordes & viles atq; hominis nomine indignos censet *Alexand. Consil. 156. col. 3. vers. quos etiam deridet.* quem laudat *Carpz. pr. Crim. q. 12. n. 49.* Sed quid si maritus de victoria fortè desperet? Hic metus in virum, cui non est pepo pro corde, vix cadere potest, ideoq; vanus erit, nec excusatione dignus, *l. 184. ff. de R. J.* Quod si tamen ejusmodi misellus aliquis virunculus seu maritellus, ut tales vocat *Bald. in L. Curatorem. C. de interdicto marrim.* reperiatur, quem quotidie ab uxore alapas, si non & verbera, oporteat accipere, putarem hunc divortium parziale impetrare posse, cum Reipl. interfit bella privata non tolerari, scandalaq; tolli. Sed si sponte vel sua culpa maritus imperium in se relinquat uxori, in conscientia peccat. Ein solcher Frauen-Knecht/Weiber-Mämme und D. Sieman ist mit verlassung und übergab seines von GOTT versehenen Mann- und Hausrechts in seinem Gewissen vor GOTT straffbar / und keines weges zu entschuldigen/inquit *D. Arnold Mengerling, Scrutin. Conscient. cap. 10. quæst. 62. & quæst. 67. add. M. Job. Ellingers Allmodischer Kleider-Teuffel cap. 5. 6. 7.*

(3) Supra notavimus hodie non licere Domino, nisi certo modo famulum alapis afficere. Quid vero si de facto id potestatis Dominus sibi sumat, annon licitè famulus Domino vicissim alapas dare poterit? Viderur quod sic, quia Dominus nullum tale jus infamulum habet, & quod Dominus sibi fieri non vult, alteri ne fecerit, *t. r. ff. quod quisq; juris in alium statuit.* Et ubi est offensio illicita, ibi defensio est licita. Sed negativa verior, partim quia & hodie Domino famulus reverentiam debet; partim quia vindicta privata regul. prohibita. Et alapa non infert damnum, nedum periculum vitæ, quorsum palmario respicit regula de illicita offensio. Quod si vero famulus putet justo durius in se animadvertisse Dominum, judicem implorare poterit; ideo enim judicia sunt constituta, ut ibidem quilibet experiatur & ne quis sibi ipsi jus dicat, *l. un. C. ne quis in sua caus. judic.* Sicuti & olim Judici incumbbat prospicere, ne immoderata Dominorum in servos esset sævitia *per s. fin. J. de his qui sui vel alien. jur.*

Deniq; specialiter notandum, sacerdoti non esse permissum cui-
cui-²³

cuipiam alapas dare, c. 25. dist. 86. Hoc enim alienum à sacerdote esse debet, cum horum sit monere suos, & verbis non verberibus uti. Exinde facile patet, quid sentiendum de illis sacerdotibus, qui in popinis versantes cum combibonibus suis rixantur manusq; conferunt. Sanè tales, si verba mala vel verbera domum referant, indignos quos sacerdotalis dignitas tueatur, judicat celebris dum viveret Juris Professor, in Academia Regiomont. Dn. Theodor. Wolder. Tyrocin. Crimin. Diss. 3. p. m. 58. Possent quidem aliæ adhuc personæ haud incommode huc trahi, quarum mentio fiet in seq. cap. Nam quia agens & patiens se habent ut relata, non usq; adeo accuratè semper separari potuerunt. Sed sufficiant hæc & esto

CAPUT III. DE SUBJECTO ALAPÆ PASSIVO.

| | | | |
|--|----|--|----------|
| Q uam justè alapam patiantur? | 1. | Quid si pacto se quis ad alapas patiendo obliget. | 8. |
| Seruus manumittendus alapa percutiebatur. | 2. | An tale pactum subsistat? | 9. |
| Pari modo hodie illi qui jus gladium gestandi consequuntur. | 3. | An mendaci licitè alapa infligatur? | 10. seq. |
| An in creatione Equitum, ubi de solennibus remissivè. | 4. | Quid juris circa injuriarum retorsionem? | ibid. |
| Attemptans feminina Pudicitiam alapà repellì potest. | 5. | An illi alapa rectè infligatur, qui me dicit Etc? | 12. |
| Quid juris circa illum qui spontè inflatas buccas percutiendas præbet. | 6. | An testi ut ejus testimonium tanquam inimici evitetur? | 13. |
| An tali salvà conscientia alapam infligere possim. | 7. | An illi qui alteri denegat prædriam. | 14. seq. |
| | | An virgini quæ juveni denegat cōboream? | 16. seq. |

I Vidimus ergo hactenus personas quæ licitè, quæq; illicitè alteri alapas impingunt; nunc Methodi ratio postulat, ut & illas consideremus personas quæ licitè & quæ illicitè seu ini-

iniquè patiuntur alapas. Et quamvis fatear ex superius propo-
 sitis Axiomatibus facillè eas patere; Nam si alter illicitè alapam
 impingit, dubio procul illicitè alter eam patitur, & contra. Non
 tamen frustraneam me subiturum esse operam spero, si & in specie
 aliquos casus in hoc capite seorsum examinavero. Et quidem
 itidem hic Axiom. generali me expediam. *Quicumq; alapam pa-*
titur in pœnam, aut propter certam solennitatem, ille iustè eam patitur.
 Ratio prioris, quia sit autoritate seu permissu legis, quale factum
 iniquum non est, l. 17. §. 12. ff. de Edil. Edict. c. quid dicam. ii. caus.
 14. q. 4. Ratio posterioris, quia cessat dolus, absq; quo delictum
 non est; & insuper omnis actio ex intentione & fine agentis di-
 judicanda. Exempla prioris poterunt peti ex priori capite, ubi
 de personis licitè alapam inferentibus actum. Exempla poste-
 rioris sunt

(1) In servo manumittendo. Manumissurus enim ser-
 vum apud Prætorem ejus caput tenebat dicens; *hunc hominem* 2
liberum esse volo; & emittebat ipsum alapâ percussum ac circum-
 actum, è manu; Quas alapas nominat *Justin. in l. 6. C. de Emancip.*
injuriola Rhapsimata, Claudianus vero injurias felices, quia ea-
 rum interventu libertas concedebatur. Pari modo in emancipa-
 tionibus liberorum alapæ adhibebantur, quem tamen ritum su-
 stulit ipsemet Imper. N. 81. Reliquas manumissionis solennita-
 tes vid. ap. *Rosin. de Antiq. Roman. l. 1. c. 20. Tholosan. Synt.*
Jur. univ. l. 14. c. 5. n. 8. add. Magnif. Dn. Præsid. Tr. de
Jure Sens. Diss. 7. c. 1. n. 49. Quæ tamen materia hodie observi-
 tutem sublatam cessat. Superest tamen alius modus hodiernis
 moribus, qui à manumissionibus nonnullis originem traxisse vi-
 detur, scil. cum alicui jus gladium gestandi conceditur, quod no-
 stris dicitur, *Wehrhaft machen.* Hinc esto in his exemplum.

(2) Principes enim Germaniæ atq; Nobiles ministris suis perfe-
 ctam ætatem adeptis, impactâ alapâ, jus gestandi gladium conce-
 dunt, additis verbis Germ. *Das vertrag von feinem mehr / aut, die* 3
leibe von mir und feinem mehr/unde & ortum puto Germ. nomen
eine Reiter- oder Rittermännische Ohrseige. conf. Besold. in Thef.
Pr. voc. Wehrhaftmachen / Dn. Præs. d. l. n. 50. Ubi in fine notat,
 C ritum

- ritum illum alapas infligendi non ubivis hodie obtinere. Ob-
tinet tamen inter multos mechanicos atq; artifices, quando ty-
rones è sua informatione dimittunt, wenn sie einen zum Gesel-
4 len machen. Cœterum in creatione Equitum, im Ritterschlagen/
alapa quidem locum sibi non vindicat, attamen humeri gladio
feriuntur, *vid. Dn. Pras. d. l. n. 53. seqq.* ubi in specie docet, quibus
ceremoniis Equites S. Georgii in Angliâ, & Equites Johanniti-
ci Ordinis in oppido huic vicino Sonneburgi creari soleant.
5 *add. Oldenburg. p. 1. Discurs. 20. ad Instr. Pac. §. 13. inf. & de Equiti-
bus Speidel. in Specul. Jurid. voc. Ritter.* Cœterum personis, quæ
licite alapas accipiunt, subnectimus & illum, qui honestæ feminae
vel virginis pudicitiam attemptare audet. Talis enim licite re-
pellitur alapâ, cum omninò ad infamiam pertineat, pudici-
tiam alicujus attemptare, *l. 1. §. 2. in fin. ff. de injur. §. 1. Inst. cod.*
Sequuntur nunc personæ, quæ iniquè patiuntur alapam,
6 ubi axioma speciale formare operæ pretium non erit, cum è prio-
ri à contrario sensu argumentari liceat. Ideoq; unum saltem
atq; alterum exemplum subjungere animus est. Et primo qui-
dem loco quaeritur, an volenti justè alapa impingatur? Nimirum
solent interdum esse homines adeo sui negligentes, maxime pue-
ri, ut pro exiguo lucro buccas inflent, aliisq; os percutiendum
præbeant, quod nominamus, *auffblasen*. Hos propter acceptas
alapas injuriarum agere non posse, certum est, cum volenti injuria
non fiat, *l. 187. ff. de R. J. c. 27. cod. in 6. l. 9. ff. de aqua & aq. plu. Sed*
7 an alter salvâ conscientia talem percutere possit, quaestionis est.
Et mihi quidem negativa arridet, cum factum hoc turpitudi-
nem contineat & contra bonos mores sit, ideoq; haud dubiè il-
licitum, imò intellectu juris impossibile, per *l. 15. ff. de condit. in-
stit.* Et si quis vult eleemosynas erogare, cur prius pauperis per-
cutit malas? Sanè non pietate aut liberalitate ductus pauperi
dat obulum, sed saltem animo delectationem ex re illicita per-
cipiendi. Ergo det tali homini eleemosynas absq; alapis, eun-
demq; cum increpatione, quo in posterum genas inflatas pro
lucro aliis præbere desistat, dimittat.
8 Sed quid si pacto se quis obligat ad alapas patiendas, annon
tunc

tunc ipsi licitè poterit alapa infligi? v.g. si quis tibi promiserit, ut si eum in vinea tua deprehenderis, alapa ipsum percussas. Ita quæstionem affirmo, si fiat percussio incontinenti, quia multa incontinenti licent, quæ ex postfacto non licent; Vel si patientis voluntas adsit tunc, cum alapam accipit. Sic enim volenti non fit injuria. Et maximè hisce casibus infligitur alapa ex intentione bona, ut scil. desistat alter mala in posterum agere. Quod si vero tempore percussionis voluntas non adesset, pactum non valeret, quia contineret turpe & occasionem delinquendi daret, contra *l. 26. ff. de V. O. conf. Bartol. in l. 1. §. uig. adeo. ff. de injur. n. 2. & 3. Coler. de Process. Execut. p. 1. c. 8. n. 70.* Peccatum vero haud dubie committit, qui citra causam invito alapam infligit. Et licet regeri possit, hoc casu non sine causa alapam dari, cum præcedat delictum aut culpa: Certum tamen est, omne pactum, quod potestatem alicui permittit, propriâ auctoritate quid faciendi, intelligi, nisi alter restiterit, tunc enim iudex adeundus. *conf. Dn. Brunnem. ad L. 3. C. de Pignor. Obskare verò assertioni nostræ videtur l. 9. §. 1. ff. de aqua & aqu. pluv. ubi dicitur, nullam accipere illum injuriam, qui semel voluit.* Sed respond. neminem posse sibi ipsi jus dicere, quod hoc casu fieret: Quin & illud, quod nempe sufficiat voluntatem initio adfuisse, non procedit in facto non iterabili, sicut fieret in eo, qui se obstringit ad ferendam alapam. Et stipulator ex tali inflatione alapæ nullum sentiret commodum, sed læderet proximum, *vid. Coler. d. l. n. 72.* Imò dubium est, an quis pacto ad alapam se obligare possit? videtur quod non, quia nemo est membrorum suorum Dominus, *L. Liber homo 13. ff. ad L. Aquil.* Verum quoniam per alapam corpus non frangitur neq; destruitur, & volenti non fit injuria, valebit certo modo obligatio, *Bartol. d. l.* maximè si emendationis ergo sit concepta, ut si quis dixerit; *quoties mendacium dixerò, des mibi alapam, vel quoties blasphemiam aut turpe quid locutus fuero.* Item si famulus vel ancilla hoc pacto Domino se obligaverit, ut quoties rerum suarum non satigerit, Dominus ipsi alapam infligat. Nam hodie Dominis jus famulos, quos ex locato habent, ferendi, non competere, superius

cap. 2. n. 10. ostensum. Pari modo & hodie quis ad carceres, maxime in Saxon, se obligare valet, non obstante, quod nemo sit membrorum Dominus, *vid. Berlich. p. 2. concl. 27. n. 9.* Quanquam alias ejusmodi obligationem fieri posse, neget *Gail. l. 2. de P. P. c. 2. n. 1. seqq.* Quod si vero quis se obligaret ad injurias atroces, quæ corpus frangerent, obligatio non valeret, quia nemo est membrorum suorum Dominus. Ideoq; consensus non excusaret injuriantem, licet bene excusaret, si injuria esset verbalis, aut alia quæ corpus non frangit, prout est alapa, *vid. Farin. q. 105. n. 167.*

I Porro quaeritur, an mendaci licitè possit alapa infligi juxta Germanorum dictionem, *auff etne Lügen gehöret sich eine Mausschelle?* Hic ante omnia videndum erit, an injuriam injuriæ rectè retorquere possim, quod communiter affirm. Pari modo, uti vim vi in continenti repellere licet, *l. 3. ff. de J. & J.* A vita enim ad famam argumentum procedere volunt, cum pari passu ambulare dicantur, id quod colligunt ex *l. 8. §. 2. ff. quod met. caus. l. 9. ff. de manumiss. vind. Gail. l. 2. O. 100. n. 6. seqq.* quod quidem simpliciter non procedit, uti notat *Carpz. p. 4. c. 10. d. 6. Wesenb. vol. 2. Disp. 17. n. 6.* Itaq; objicienti mihi crimen, in continenti reponere possum, (tu mentiris) *vid. Gail. d. l. 2. Obs. 100. n. 3.* vel etiam ita: mentiris ut latro, fur &c. *conf. Berlich. p. 5. concl. 64. n. 6. seqq.* Sed modus hic injurias ulciscendi tantum moribus est inventus, quod & fatetur *Dn. Struv. Tr. de vindict. privat. c. 10. aphor. 6.* Quanquam hic statuat, convenire Retorsionem juri Civil. aliquo modo, nec contrariari juri Divino, quod impugnat *Renneman. Tr. de Retorsion. & novissime Dn. Pfannkuch Tr. de Illicit. injuriarum verbal. Retorsion.* Interim tamen in praxi receptum, ut injuriam verbalem verbali retorsione, si modum non excessero, licitè tollere possim; neutiquam vero injuriam verbalem armis aut verberibus repellere licebit, *D. Osiand. ad Grot. l. 2. c. 1. th. 10. Obs. 1. fin.* Sic enim proportio inter offensionem & defensionem non observaretur, *vid. Harprecht. ad S. f. Instit. de injur. n. 204. seqq.* Ergo propositæ quaestionis negativa responsio exinde sua sponte fluit, *Berlich. d. l. n. 29. Harprecht. d. l. n. 207.* ubi tamen ille limitationem admittit *n. 30.* nisi infamis quispiam, vilis aut plebejus nobili alicui vel aliàs egregiæ personæ mendacium objecerit; tunc

II

tunc ejusmodi persona nobilis vel egregia non solam legitima mendacii retorsione, sed & alapam impingendo ejusmodi vili & infami convitiatori, se rectè defendere potest, quia talis persona per verbalem retorsionem à convitiando non detereretur, *arg. l. 15. §. 39. ff. de injur.* Sed limitationem hanc rejicit *Harprecht. d. l. n. 211.* Usus tamen sæpius quæstionem affirmativè decidit. Sic exemplum refert *Harsdörffer. im grossen Schauplatz cent. 2. Hist. 110.* ubi ex hæc causa Comes Baroni alapam inflixit, quæ postmodum alia alapâ fuit compensata.

Ulterius hic disquirendum est, an illi, qui me dicit *Etcætera* ¹² alapam infligere valeam? Videtur quod sic, juxta illud vulgatum, *cujus in Præfat. mentionem feci, auff ein Etcætera gehöret sich eine Ohrfeige.* Sed quoniam dictio *Etcætera* in se injuriosa non est, nisi circumstantiæ animum injuriandi probent, uti ostendi in *Dissertat. de Etc. c. 5. n. 57. seqq.* ne quidem ob dictionem hanc nudè prolatam injuriarum actio dabitur. Et licet fortasse concurrentibus ita circumstantiis injuriam inferret *Etcætera*, esset tamen injuria verbalis, quam verberibus aut alapis repellere velint, quam licet, uti paulo ante ostensum. Quamquàm aliqui velint, provocatum verbis injuriosis posse dare alapam, *vid. Bajard. in Addit. ad Clar. §. injuria n. 64.* quod admitto, ut ipsi ignoscatur.

Sed an testi poterit alapa dari, ut ejus testimonium tanquam inimici evitetur? Ponamus casum. Titius debet Sempronio 100. quos saltem unico teste, Cajo fortè, probare potest. Titius ut debitor hoc animadvertens, arripit occasionem Cajo alapam infligendi: Et dum hic à Sempronio producitur testis, excipit Titius, non posse esse testem, cum sit sibi inimicus propter acceptam à se alapam. Quæritur quid juris? Respondeo, Cajum non obstante alapâ, posse produci testem. *Felin. in c. f. X. de testib. n. 4.* Nam inimicitia superveniens factò ejus, contra quem testis productus est, non repellit testem. Sic enim esset in potestate delinquentis tollere jus adversarii, *Bald. in l. 2. §. Sed si agant. ff. de judic.* cum tamen nemini ex alterius factò iniqua conditio debeat inferri, *l. 74. ff. de R. J.* Et tale exemplum contigisse in factò testatur *Barcol. in l. 1. §. cum quis. ff. de Quæstion.*

- 14 Quid vero iudicandum erit de illo, qui alium, quo tamen est inferior, præcedere conatur, annon talis datâ alapa repelli poterit? Optandum quidem fortassè esset, ut illud D. Pauli in praxin deduceretur; einer komme dem andern mit Ehrerbietigkeit zuvor. Enimvero contrarium docent innumerabiles illæ & fermè immortales de præcedentia lites. Namq; hoc hominibus à naturâ inditum videtur, ut laudis atq; honoris studio maximè ducantur; adeo ut & inter ipsos Clericos, quos tamen aliis humilitate præluere oportebat, ejusmodi de præcedentiâ contentiones haud rarò fuerint ventilatæ, & tanto quidem impetu, ut nec ratio boni publ. nec loci religio abstergere partes valuerit, *vid. Dn. Crusius Tr. de Præcedentiâ lib. 1. c. 1.* ubi exempla. Sed ad quæstionem ut revertamur, ante omnia videndum erit, an sit Proëdriæ denegatio injuria? Quod communiter affirm. *vid. Dn. Brunnen. ad t. ff. de injur. quæst. 16. Dn. Struv. in Syntagm. ad eund. tit. th. 58.* Sed an talem injuriam armis aut alapâ repellere liceat, dubito, quia nemini facultas sibi ipsâ jus dicendi competit, dignitatisq; prærogativa humanitate & civilitate potius defendi debeat, quàm arrogantiam, *conf. Dn. Crusius d. l. n. 12.* Interim Legatis Principum jus præcedentiæ in culpata tutelæ moderamine tueri, licitum esse volunt, cum honor publicus publico commo præferendus, *vid. Chassan. in Catal. Glor. mund. part. 1. confid. 2.* Et indistinctè hoc jus omnibus asserit Bald. in *L. observare. 4. §. antequam. 3. ff. de offic. Procons. n. 3.* ex ratione, quia nemo tenetur injuriam vel proprii honoris parvipensionem pati, maximè si sit in quasi possessione ratione consuetudinis existentis in loco: Hunc sequuntur Bajard. in *Addit. ad Clar. §. injuria n. 6. Chassan. ad Consuet. Burgund. Rubr. 6. §. 4. n. 17. 18. Farinac. Pr. Crim. q. 108. n. 19.* Imò honoris causâ alterum occidere licere vult Cavalcan. *l. 5. Dec. 19.* Verùm an rationes hæ sint sufficientes unicuique cogitandum relinquo, *conf. cap. ult. n. 12. seqq.* Sanè illi qui alapâ hoc casu honorem vindicavit, ignosci posse non negavero, cum illi qui vi honorem nobis adimere conatur, vi resistere valeamus, *arg. l. 3. ff. de J. & J. ut tamen*
- 15 proportio inter offensionem servetur. Exinde quoq; facilis erit responsio ad quæstionem, an ille, qui alteri ideo quod sibi saltan-

saltanti præfluerit, (daß er ihm im Tanze vorgeschungen) alapam inflixit, excusari possit? Puto quod sic, si alter ex proposito id fecerit, neq; admonitus intermiserit. Idem sentiendum de illo, qui alteri alapam impegit, quod virginem quacum choream ducebat; manibus sibi exemerit, quemadmodum simile fermè exemplum defendit *Scotus Placent. tom. 2. l. 3. Cons. 15. quem allegat Camill. Borellus Consil. 24. n. 15.*

Deniq; & mantissæ loco capiti huic subnecto quæstionem, an Virgini deneganti choream juveni, licitè detur alapa, wenn sie ihm den Tanz versaget? Sanè quæstionem hanc uno quasi ore affirmat. vulgus decidere videtur; Sed absurdè satis. Nam juvenis rogat puellam, in cujus arbitrio est, vel itne petitioni deferre, annon. Ergo denegata petitio alapà compensanda? Minimè gentium; Sed quoniam repulsam spes propinqua solatur, ut dicit *Tacitus*, reiteret potius preces juvenis, & fortasse spe non excidet. Sed dicis, gravis tamen est injuria denegare choream, cùm hac ratione puella tacitè contemnat & vilipendat petentem, sui vero parvipensionem nemo pati tenetur, ut loquitur *Chassan. ad Consuetud. Burgund. Rubr. 6. §. 4. n. 17.* Respondeo, hoc est quod nego, subesse injuriam, quia nemo invitus tenetur id præstare de quo rogatur, per §. 1. *Fest. de fideic. hered.* Ergo utitur puella suo jure, & per consequens nemini facit injuriam. l. 13. ff. de injur. *Tacitus* quidem monet, preces illius qui jubere potest, vim necessitatis inferre: Sed hoc minimè procedit, ubi alter alteri nullo subjectionis vinculo tenetur, nedum ubi rogatus ut superior honoratur, quemadmodum in nostro casu juvenes se virginum subjectissimos servos profiteri amant, ipsasque pro suis dominatricibus libentissimè agnoscunt. Absurdum ne ergo esset, si servus Dominae suæ ob denegatam petitionem alapam infligeret? Et porro non mox contemptus personæ exinde colligendus. Possunt enim aliæ subesse causæ, ob quas denegatur chorea, forte lassitudo &c. secus sequeretur & illum me tacitè contemnere, qui pecuniam mutuo dare mihi denegaret, cum hac ratione fidem meam in dubium vocare videatur, an fortè & sibi creditum sim restitutus, Sed ponamus, esse denegationem.

choreæ injuriam, erit sanè verbalis; an vero hæc alapâ aut verberibus repellenda? nequaquam, *vid supra n. 10.* Et quale quæso fortitudinis specimen ederet ille, qui imbelli & inermi puellulæ, quæ resistendo non est, alapam impegerit? Rifu certè & vituperio, non laude, meo judicio dignus. Et metuo valdè, ne contemptum propulsurus contemptum augeat. Interim tamen isto casu citius fortè juvenis quæstionem affirmativè cum effectu decedens, excusari possit, si virgo mox alteri copiam secum choream ducendi concederet. Namq; convivium quoniam fuit saltatum, ingressa, omnes convivæ par jus in ipsam habere videntur. Hinc absq; contemptu vix poterit in pari causa uni denegare, quod alteri mox concedit. Ideoq; si juvenis tunc manibus suis aut ori non nihil licentiæ indulgeat, ignoscendū ipsi erit, qui voluit contemptus se ulcisci *arg. l. 14. §. 6. ff. de bon. libert.* Justè tamen ne hoc quidem casu alapam infligi puellæ autumo, cum choream denegare factum sit meri arbitrii. Neq; vitio vertendum puellæ, si erga unum propensiore sit animo, quàm alterum. Nam & juvenes non unamquamvis puellam eodem prosequuntur affectu majoriq; desiderio cum hac quàm illâ saltandi tenentur. Ergo mores quos quis in se probat, in altero improbare nequit, *arg. l. In arenam 11. C. de inoffic. testam.* Sed esto

CAPUT IV. DE EFFECTU ALAPÆ

SUMMARIA.

| | |
|---|--|
| <p>A <i>Alapa effectus quoad agentem & patientem.</i> n. 1.</p> <p><i>Alapa gravior offensæ quàm vulnus.</i> 2.</p> <p><i>An possim injuriarum propter alapam agere, dubitatur ex dicto Salvatoris.</i> 3.</p> | <p><i>Per injuriarum actionem querimus saltè vindictam.</i> 4.</p> <p><i>Contumeliam passis quid absit?</i> 5.</p> <p><i>An unquam Christianus, salva conscientia injuriarum agere possit?</i> 6. seq.</p> <p><i>Quid faciendum alapam passis?</i> 8.</p> <p style="text-align: right;"><i>Inju-</i></p> |
|---|--|

| | |
|--|---|
| Injustè alapam accipiens an statim repercutere possit. 9. | Quibus actio injuriarum detur quando non ipsi, sed & alii sunt alapà percussis. 29. |
| Respondetur ad dictum Salvatoris Matth. 5. v. 39. 10. | Sic datur patri si filius percussus. ib. |
| Cujus explicationes ex Theologis afferuntur. 11. | Marito si uxor l. sponsa percussa. 30. |
| An dentur casus, ubi alapam pri- vatim vindicare liceat, disqui- ritur. 12. | Quid si alicui ex errore alapa sit data? 31. |
| An alapam passus armis se defen- dere possit? ibid. & n. seqq. 12. | Quid si infanti data fuerit alapa? 32. |
| Quid sentiendum de illo, auffs eine Maulschelle gehöret ein Dolch. 16. | Mandans alapam infligi perinde tenetur ut mandatarius. 33. |
| Quid si in terrâ prostratus pluri- misq; alapis affectus cultello al- terum occiderit? 17. | Quid si hic excesserit fines man- dati? ibid. |
| Annon milites &c. alapam gladio repellere possint? 18. & 20. | Propter alapam quotuplex actio detur? 34. |
| Defensio propter solum terrorem licita. 19. | Ad quam jurisdictionem pertineat alapam? 35. |
| An alapam passus, si percutientem vulneraverit, ex L. Aquil. con- veniri possit. 21. seq. | Quâ penâ alapa afficiatur? 36. |
| Quid juris in autore rixæ? 23. | An si certa pena statuto pro alapa solvenda, ille qui duas alapas de- dit, duplicem pœnam solvere te- neatur. 37. seq. |
| Pater percussus à filio repercutere potest, idem obtinet in marito & aliis. 24. | Ex multiplicatione delicti an mul- tiplicentur pœna, remissivè. 39. |
| Quibus detur actio injuriarum. 25. | An Statutum de alapa loquens eti- am in mandante obtineat. 40. |
| Quid si amoris causâ alapa data. 26. | An in illo qui saltem manum le- vavit? 41. |
| Exemplum Maximil. Imper. qui Du- ci Brunsvicensi alapam dedit. 27. | An in illo qui palmâ caput per- cussit l. nasum digitis? 42. |
| Exemplū alape præmis affecta. ib. | An his casibus gravior pœna im- ponenda? 43. |
| Quid si quis propter disciplinam a- lapam dederit & eventu occi- derit. 28. | Quid si quis judicem interroget, an alapam minoris redimi non possit, & ipsi judici det alapam. 44. |
| | D Qua |

| | | | |
|---|----------|---|-----|
| <i>Qua pœnâ efficiendus qui iudici alapam dedit.</i> | 45. seq. | <i>Vasallus Domino alapam dans seu do privatur.</i> | 59. |
| <i>Quid si quis pœnam in duplo offerat & alteri de novo alapam det?</i> | 47. | <i>An idem si uxori Domini vel sponsæ aut filio?</i> | 60. |
| <i>Exemplum Neratii id facere consueti.</i> | 48. | <i>Limitatur si Dominus alienis vestibus.</i> | 61. |
| <i>Quid augeat alapa pœnam.</i> | 49. | <i>Quid si militi detur alapa?</i> | 62. |
| <i>Quid si quis Principi det alapam?</i> | 50. | <i>Militibus equiparantur Dd. Advocati, Studiosi.</i> | 63. |
| <i>Quid si Sacerdoti?</i> | 51. | <i>Qua pœnâ afficiatur filius, si patri alapas dederit.</i> | 64. |
| <i>Quid si hic habitu seculari compareat?</i> | 52. | <i>Quid si aliquis illi det alapam cui reverentiam debet.</i> | 65. |
| <i>Ex habitu presumitur hominis qualitas.</i> | 53. | <i>Quando ratione agentis pœna alapa minuat.</i> | 66. |
| <i>Quid si, qui Clericus non est, habitu Clericali utatur.</i> | 54. | <i>Insuitu loci augetur alapa pœna, & quid si alicui in Ecclesia fuerit alapa data.</i> | 67. |
| <i>Quid si quis Principi alieno vestitu uso alapam dederit.</i> | 55. | <i>An per alapam cautio de non offendendo rumpatur?</i> | 68. |
| <i>Quid si sacerdos convitiis afficiat Religionis meæ consortes.</i> | 56. seq. | <i>An alapa per testes de auditu probari possit?</i> | 69. |
| <i>Quando Sacerdos injuriarum conveniri possit.</i> | 58. | <i>Conclusio.</i> | 70. |

I **A**lapa alios effectus producit in patiente, alios in agente, ideoq; seorsum de his agendum. Et quidem quoad agentem alapa aut vindictæ privatæ, aut iræ, aut legi satisfacit, ideoq; tranquillitatem animi ut plurimum operatur. Quoad patientem vero videndum est, justè ne & præcedenti ex causa, an patiatur alapam, an vero injustè. Si illud, effectus erit quoad intentionem agentis, subsecuta emendatio; Sin hoc, dabitur injuriarum actio, quia alapa pro gravi injuria reputatur & offensione præ reliquis ignominiosâ, *Fichard. l. 2. Conf. 117. n. 8. Quod & fatetur celebris Theol. D. Osiand. ad Grot. l. 1. c. 2. th. 8. Obs. 2.*

2 Et quidem pro graviore quàm vulnus, propter ignominiam adjunctam

junctam præsertim inter graves & militares viros, *vid. Petrus Bellonius. de Remilitar. p. 10. t. 2. n. 39. & 65.* Es thut einem Ehrlichen Manne eine Wunde nicht so wehe / als ein Backenstreich. *Diether. in Addit. ad Besold. Thef. Pract. Voc. Maultasch. inf.* Sed an possum salvâ conscientiâ injuriarum propter alapam acceptam agere, perquam dubium redditur ex illo Salvatoris dicto, *Matth. 5. vers. 39. Si quis impegerit alapam in dexteram tuam maxillam, obverte illi & alteram.* Quod dictum repetitur in Jure Can. *can. 2. caus. 14. q. 1.* Quo ipso tolli videtur lex naturæ, vim vi repellere permittentis, *vid. Balduin. l. 4. cas. conscient. 13.* Et ipsemet patientissimus Salvator noster, suo nos hoc ipsum docuit exemplo, qui percussus non repercutiebat, sed alapas, colaphos & flagra uti innocentissimè, ita patientissimè toleravit. Et per injuriarum actionem ecquid aliud quærimus, quàm vindictam & ultionem, cum tamen inimicos nostros diligere debemus & orare pro iis qui nos lædunt, *Matth. 5. vers. 44.* Hinc inquit *Augustin. Epist. 154. dictum est, non resistamus malo, ne nos vindicta deleat, qua alieno malo animum pascit.* Imò rem ex veritate si æstimamus, ecquid contumeliam passis abest, præter id, quod ex sola opinione hominum dependet, *vid. Grot. de Jure B. & P. l. 1. c. 2. §. 8. n. 8.* Contumelia enim ex mente *Chrysostromi*, quem *Grot. in Not. ad d. §. 8.* adducit, non ab inferentis animo, sed ex judicio eorum qui patiuntur aut fit aut perit. Unde porrò satis dubium redditur, an unquam Christianus salvâ conscientiâ injuriarum agere possit? Ubi distingv. an per injurias damnum reale inferatur, an saltem existimatio verbis injuriosis lædatur. Priori casu haud illicita videtur actiō injuriarum, per quam damni restitutionem petimus. Posteriori casu iterum videndum, an persona injuriam passa, in publico officio Civili vel Ecclesiastico sit constituta, quæ justè omnino vindicat injurias, ne inde in alios derivetur scandalum, & ne talis persona sinistram de se suspicionem tacendo, sibi accersat: An verò planè sit privata, ubi si ipsi crimen fuerit objectum, injuriantem convenire poterit, quo se purget à crimine & ne alter maledicendo pergat, secus melius conscientiæ suæ consulat, si injurianti veniam

dederit, *vid. de hac quaestione. Dn. Charifus de Foro Conscient. c. 6. n. 56. seqq. ubi n. 58.* tandem concludit, tunc saltem quoad conscientiam, criminaliter injuriarum agi posse, an civiliter, dubitat, quia injuriarum actio tantum tendit ad vindictam *l. 15. §. 46. ff. de injur. l. 2. §. 4. ff. de Collat. bon. & per verba injuriosa fama auferri nequit, l. un. C. de famos. libell.* Maximè verò ille, qui injuriosa verba mille thaleris & amplius æstimat, in conscientia
 8 vix erit securus, cum ipsi revera nihil absit. Ex his ergo facile erit colligere responsum ad quaestionem superius propositam. Nempe alapam passus, si sit persona saltem privata & non in officio constituta, bene quidem fecerit ex mente Christi, si adversario condonaverit; malè vero si æstimatoriam injuriarum actionem intenderit: Non tamen tunc peccaturum puto, si judicem percutientem detulerit, quo hujus sui facinoris poenas luat. Malitiis enim hominum favendum non est; crimenq; non puni- tum plurima producit alia. Et ita nulla vindicta privata exercetur; Aditus verò hic ad judicem, si fiat animo vindictæ cupido, in conscientia non reddit securum. *D. Osiand. ad Grot. l. 1. c. 2. tb. 8. obs. 2. in f.* Quanquam *Baldwinus Theolog. haud incelebris Tr. de Casib. conscient. l. 4. cas. 15.* concedat, eum qui injustè alapam accepit, statim & in continenti repercutere posse ferientem, non ad sumendam vindictam, sed ad evitandam infamiam & ignominiam. Quod in foro Civili facile concedendum.

10 Et hoc modo non obstat dictum Salvatoris *Matth. 5. v. 39.* ubi vindicta saltem privata & lis super levi injuria interdicitur, qualem vindictam & LL. civiles prohibent, *l. 10. ff. de Jurud.* Non enim alloquitur ibi Christus magistratum, sed eos qui impetuntur, *vid. Grot. de J. B. & P. l. 1. c. 2. §. 8. n. 3.* Et nec ipse Christus, nec Paulus percussi alteram obverterunt maxillam, sed petulantiam gravissimâ oratione reprehenderunt, *Job. 18. v. 23. Actor. 23. v. 3. ubi Paulus, percutiet te DEUS, inquit, paries dealbate.* Ergo prohibetur saltem abusus juris talionis in privatâ vindictâ, & ut faciles simus ad ignoscendum, tardi verò ad iram, nobis inculcatur. *vid. Harprecht. ad §. Item L. Cornel. 5. Inst. de Publ. jud. n. 154. Dn. Ziegler. ad Grot. l. 1. c. 2. §. 8.* Necq; aliam hujus dicti inter-

interpretationem inuenio apud Theologos. Sic enim Cornelius à Lapide ad d. loc. *Matth. 5. v. 39.* scribit, hoc esse quandoq; 11
præceptum, quandoq; consilium Evangelicum; & adducit exempla
quædam Sanctorum, qui hoc passi sunt eosq; laudat. Sed si im-
pius, inquit porro, percutiat maxillam, ut fidem & Religionem ortho-
doxam desiciat, tunc non præbenda altera maxilla, sed graviter
increpandus, uti fecit Christus Job. 18. 23. Paulus Act. 23. 3. In fine
 vero taxat quosdam, qui ultro irritarunt alios, ut sibi alapas in-
 fligerent, & percussi alteram maxillam offerebant. Et Francisc.
Lucæ ad eund. loc. Matth. Non debet inquit fieri animo cupido vindictæ;
consilium Christi est, docentis nos mala perferre. Non ergo pro-
hibetur injuriam declinare, neq; aliquando iis quibus id officii
incumbit vindicandam committere, multò minus iis quibus id
ex officio incumbit magistratibus vindicare, Præfectis corrigere;
Sed privatas inibet inimicitias, privata ultionis studium
appetitumq; improbat. Et Maldonat. ad d. l. inf. Privatis ho-
minibus manicas injecit (Saluator) nec puniendi potestatem tollit,
sed peccandi occasionem præcidit. Sic Joh. Musculus ad d. c. 5. v. 39.
Matth. Quest. De quo malo Christus loquatur? Non laxantur, in-
quit, frena malorum; Sed per magistratum, non privatim ulcisci
debent. add. D. Osiand. ad Grot. l. 1. c. 2. th. 8. Obs. 2. Joh. Piscator
ad d. v. 39. Matth. cap. 5.

Satis proinde liquet, alapam publicè vindicare prohibitum 12
 non esse; Sed annon aliqui erunt casus, ubi alapam autoritate
 privatâ vindicare licebit? Quid enim si quis me iniquè alapâ per-
 cutiat, annon potero armis eidem resistere sicq; moderamen in-
 culpatæ tutelæ prætereundere? Quæstio hæc affirmanda videtur,
 quia periculum famæ, æquiparatur periculo vitæ, *Jul. Clarus. S.*
homicidium, n. 26. & crudelis esse putatur, qui famam suam negli-
git c. Nolo 10. caus. 12. q. 1. Insuper permittitur honoris sui de-
 fensio & ignominie violenta repulsio; imò tam infamiam, quàm
 corporis periculum à nobis propellere cogimur, cum personæ &
 famæ conservationem jura æquiparent, *l. Justa. 9. ff. de manumiss.*
vind. vid. supra c. 3. n. 10. Et qui injuriæ non obstitit cum possit,
 tam est in vitio, quàm si parentes aut amicos aut patriam deserat,

- ut opinatur *Cicer. l. 1. offic.* injuriamq; ipsa irrationabilia animalia propulsare student, *Camill. Borellus Consil. 24. n. 13.* Hinc in specie quaestionem etiam de illo, qui me alapa percussit, affirm. *Dambouder. in Pr. Crim. c. 79. n. 1. seqq. Cavalcan. l. 5. Dec. 19. n. 87. & alii.* Imò, quod mirari licet, Moralistæ fermè omnes, alapam passum aut saltem passurum, agredientem occidere posse, *vid. Azorius Instit. Moral. part. 3. l. 2. c. 1. q. 16.* cujus ratio, quia alio modo honor defendi nequit. *Lesius de J. & J. l. 2. c. 9. dubit. 12. ubi n. 80.* hanc sententiam speculativè probabilem, sed in praxi ob periculum vindictæ & excessus non facilè admittendam dicit. *Soro de J. & J. l. 5. q. 1. art. 9. Diana Resol. Moral. Tom. 8. Tr. 5. Resol. 9. n. 5. & ibid. Resol. 6.* ubi de minante alapam idem asserit. Et *Resol. 7. n. 3.* etiam fugientem post acceptam ab ipso alapam, me occidere posse statuit, ejusq; opinionis asseclas pios & doctissimos viros dicit. Verùm negativa magis arridet. Licet enim, viro gravi grave sit honoris periculum pati, nullius tamen honoris æstimatio tanti esse debet, ut per vitam alterius redimatur, *vid. Balduin. l. 4. Cas. consc. 15.* Præterea nulla ratione requisita moderaminis inculpatæ tutelæ locum inveniunt. Namq; primò ex alapa non imminet mihi periculum mortis, neq; ulla paritas armorum subest. Et licet alias simplex armorum paritas præcisè necessaria non sit, cùm hæc in rixa & maxime ab iratis, qui rationis usu carent, sensibusq; uti nesciunt, vix observari queat, *Gail. 2. O. 110. n. 35.* nec insultatus possit stateram habere in manu, juxta quam ictus admetiatur, ut loquitur *Farinac. quest. 125. n. 352.* Talibus tamen ut me quis aggrediatur armis necessum est, ex quibus mors mihi immineat, quod nostro in casu minimè fit. Propter mortis enim periculum ejusmodi defensionem necessariam jura permittunt, *l. 3. ff. de J. & J.* Sic & expressè à *Carol. V. in Const. Crim. art. 140.* requiritur, daß er mit einem tödtlichen Waffnen oder Gewehr überlauffen oder geschlagen werde. Ecquis verò palmam quâ alapa infligitur, inter tela lethalia retulerit? nisi fortassè quis adeo sit robustus, ut & pugno occidere possit, *vid. infra n. 17.* Ergo alapam passus si percussorem occiderit, propter insignem hunc excessum, non quidem ordi-

ordinaria mortis pœnâ, cum ignoscendum quodammodo sit eis qui percussus se voluit ulcisci, l. 14. §. 6. ff. de bon. libert. add. c. Significasti 18, in f. X. de homicid. Attamen extraordinariâ pœnâ, fultigationis fortè vel aliâ pro circumstantiarû ratione affici poterit, vid. Carpz. Pr. Crim. q. 30. n. 19. seqq. Farinac. q. 125. n. 357. Licethic n. 359. seqq. defendat contrariam opinionem, cui & opitulari videtur dictionum illud Germanorum, auff eine Maulschelle gehôret ein Dolch. Enim vero hoc dictum vix procedere, ex præcedentibus facile patet, ubi ostensum, illi saltem armis se defendere licere, qui armis ab adversario petitur. Hinc & Carpz. d. q. 30. n. 35. irrationabile & jure destitutum illud dicit, add. Magnif. Dn. præf. Tr. de Fur. Sens. Dissert. 7. c. 5. n. 5. Moralistas verò superius adductos quod attinet, non satis firmo nituntur ipsorum opinio fundamento, putantium, alio modo quàm morte percutientis, honorem defendi non posse: quam sententiam à pietate & ratione valdè alienam statuit Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 7. rh. 10. n. 2. Sunt etenim judicia constituta, ubi honorem amissum, si amissus est, recuperare valemus, Vid. D. Osiander ad d. l. Grotii. Obs. 2. ubi solidè Moralistarum rationes examinat: Id fortasse facilius admitti posset, quod habet Henniges ad d. l. Grotii, scil. alapam inflicto gladio me opponere posse, in quem si cæco imperu incurrat, nihil peccasse videor.

Interim sunt Dd. haud pauci, qui statuunt, tunc alapam pugione vel gladio repelli posse, si quis aliter se defendere non valuerit, vid. Dambouder. d. c. 79. n. 1. Berlich. p. 4. concl. 13. n. 65. utpote si quis in terram prostratus plurimis alapis feriat, maximè ab eo qui robustus sit, ut & pugno occidere possit, uti cujusdam meminit Farin. q. 125. n. 366. & cultellò quem secum habet, occidat alterum, impunè hoc fecerit, vid. Harprecht. ad §. item L. Cornelia. 5. Inst. de publ. judic. n. 146. Farin. d. q. 125. n. 363. ubi tamen addit, ideo aliquem exilii pœnâ per sex annos fuisse punitum. Sic porrò alapam armis repellere permittunt militibus, nobilibus vel aliis personis egregiis. Tales enim ex communi opinione, etiamsi aliter se defendere potuerint, propter alapam percussorem rectè occidunt, Damboud. d. l. n. 3. Farin. d. q. 125. n. 362.

Ber-

Berlich. d. l. n. 67. ibiq; alleg. add. Dn. Richter. part. 5. Cons. 20. n. 9. § 10. ubi non penitus improbat illud dictærium German. Si scil. de milite &c. sermo sit, cum injurias reales realibus in continenti repellere liceat, quod etiam admittit *Balduin. l. 4. cas. cons. 15.* Imò & defensio licita propter solum terrorem & manuum jactationem, *Sichard. consil. Crimin. 8. n. 81.* Inter tales enim personas alapa gravior offensâ est, quàm vulnerum illatio, *Farinac. q. 105. n. 207.*

Sed huic opinioni graviter contradicit *Harprecht propter 20l. 5. pr. ibi. ferro petentem. ff. ad L. Aquil. L. Si ut allegas 4. ibi: inferenda cedis. C. ad L. Cornel. de Sicar. vid. Harprecht. ad §. item L. Corn. 5. Inst. de Public. jud. n. 171. seqq; add. Comment. ad Grot. l. 2. c. 1. §. 10. utpote Dn. Ziegler. Bœcler. Ofsander.* Quam sententiam in foro conscientia utiq; tutiorem judico. Sed quid si saltem vulneraverit percutientem, annon ex L. Aquilia conveniri poterit de expensis; Concesso quod contra manu vacuâ invadentem, armis me defendere valeam, uti hoc *Farinac. d. q. 125. n. 361. cum alleg. ibid. & quos n. 12. adduxi,* defendit, sequitur sanè vulnerantem non teneri L. Aquilia propter l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. vid. *Farin. q. 119. n. 122. Dn. Lederer de Jure Belli privati l. 1. c. 6. §. 5.* ubi etiam injuriosis verbis provocatû, si provocantem vulneret, ab omni pœnâ immunè pronunciat. Quamvis vero opinioni permissentium alapam morte aut armis repelli, calculum non adjecerim; Præsentem tamen quæstionem negativè decido. Licet enim haud 22 dubie, dum alapâ me percutientem armis vulnero, in excessu peccem, non tamen in impensas poterò condemnari, quia alter hoc damnum sua culpâ sentit, ideoq; sentire non videtur, l. 203. ff. de R. J. conf. d. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. ab omni licet pœnâ immunis non sim. *Carpz. in Pr. Crim. q. 99. n. 53.* Putarem tamen & hic circumstantias attendendas, & quis sit autor rixæ. Hic 23 enim si propter alapam datam, vulneratus ab actore fuerit, id sibi imputabit, d. l. 203. ff. de R. J. cum & aliàs excessum quoq; in Autore rixæ ordinariâ pœnâ puniendum velint, vid. *Farinac. q. 125. n. 118. Carpz. q. 39. n. 47. 43.* Et autor rixæ ipsemet est faber fortunæ suæ, ergo quos fecit compedes, ipse gestet æquum est, ut

ut loquitur *Carpz. d. l. n. 45.* suâ sponte enim discrimini sese opposuit, *Camill. Borellus Consil. 24. n. 13.* Quod si vero alteri ex iusta causâ alapa infligatur, forte quod vilis persona nobiliorem mendacii arguerit, *vid. cap. 3. n. 11.* tunc si percussus percipientem vulneret, tenebitur *L. Aquil. propter d. l. 45. §. 4. f. ff. ad L. Aquil. ubi: Si non ulciscendi.*

Quid vero si filius impiâ manu det patri alapam, annon ita filium repercutere patri integrum erit? Hoc indubitanter affirmo ex ratione, quia patri jus filium modicè castigandi competit, *uti supra c. 2. n. 5.* ostensum. Quâ vero ulterius poenâ afficiatur talis Filius *vid. infra n. 64.* Hinc fluit porro, omnibus iis, qui in percipientem habent jus castigandi, licere alapam autoritate privatâ vindicare. Ergo maritus alapas ab uxore acceptas, alapis compensare valebit, sed non contrâ: idem in reliquis quos supra adduxi. Alii vero alapam passi, debito modo injuriarum actio-²⁵ nem intentare poterunt. Hanc enim in foro Civili dari *inpr. hujus cap. dictum.* Et quidem datur hæc actio omnibus, qui iniquè alapam sunt passi, de quibus etiam superius actum, *vid. Farin. q. 105. n. 133. seqq.* Interim tamen semper animus alapam infligentis attendendus est; animus quippe & intentio hominis distinguunt facta. Quod si ergo quis alicui personæ amoris causâ aut per jocum alapam dederit, cessabit actio injuriarum, *l. 3. §. 3. ff. de injur.* Sic enim cessat dolus, qui tamen in omni injuria requiritur *l. 3. §. 1. ff. d. t.* Huc spectat alapa illa, cujus facit mentionem *Speidel. in Specul. Jurid. voc. Maultasch/ex Lezneri Dasselisch. und Etbeckischen Chronic. lib. 3.* Scil. Imper. Maximil. aliquando omnes captivos morti traditurus, prohibuerat, ne quis pro illis intercedere auderet, secus facientem alapam accepturum, der solle eine gute Maultasche zu lohn bekommen. Tandem tamen Dux Brunsvic. felici ausu Imperatoris iram tollendo quidem fuit, alapam vero evitando non item. Denn es hat der Kaiser dem Herzog einen lachend. und freundlichen Backenstreich gegeben und die Gefangenen loß gelassen. Imo aliquando alapa præmio fuit affecta, quemadmodum refert exemplum *Erasm. Francisci in Geschicht. Kunst. und Sitten Spiegel lib. 4. c. 2. p. 1223.*

E.

EX

ex Jürgen Andersen & Wolquard Iversen Orientalischen Reiser-
 beschreib. lib. 1. pag. 39. quod ipsius verbis hic inferere nullus
 dubitavi. Als der Königl. Stadthalter von Amadabath eins-
 mahl bey der Hoff-Stadt Agra angelanget/hat er gleich den ersten
 Abend seiner Ankuafft den Holländischen Visiteur sammt den Hand-
 lung Directors Nicolaus Borburg zu sich auff ein Gastmahl er-
 beten. In dem sie nun mitten in der Mahlzeit sind/schauffelt der
 Chan/welcher vermuthlich von der Reise einen guten appetit und
 heißhungerigen Magen mit gebracht / eine gar zu grosse Hand voll
 Reiß ins Maul/ daß das Maul weit auffgerissen stehen bleibet /
 und nicht wieder zu wil. Der Visiteur sehend daß dieser Reiß-
 schlucker sitzt und die Augen im Kopff verkehret/schickt geschwinde
 hin in seine Herberge/die nahe dabey war/und läßt seinen Balbier
 holen/daß er dem Stadthalter helffe. Dieser verspricht er wolle
 sein bestes thun und dem Chan wol helfen/dasern es nur im besten
 vermercket würde; Tritt damit hin zum Chan oder Stadthalter/
 und giebt demselben eine gute Teutsche Ohrfeige/daß es patscht; wo-
 rauff der Mund wieder zusammen geht. Aber er bekam anfangs
 für diese geschwinde Arzney und Maulbier einen schlechten Lohn
 von den Dienern des Stadthalters/welche ihn zur stunde mit De-
 gen überfielen und ihm eckliche Wunden an den Kopff versetzten/
 auch besorglich ganz niedergemacht hätten / wenn ihnen nicht der
 Chan zugeruffen einzuhalten/mit vermeldung/ der Balbier hätte es
 gut gemeinet und ihm das Leben gerettet. Solches desto mehr zu
 bezeigen/ stehet er selber auff/reicht dem Balbier die Hand und be-
 dankt sich/daß er ihm so geschwinde geholfen / und läßt ihm 1000.
 Rupien (500. Thaler unsers Geldes) geben/ den Dienern aber so
 im Gemach gewesen/so wol denen die nur zugehosen/als die den Arzt
 geschlagen und verwundet/die Füße empor ziehen und unarmher-
 zig auff ihre Fußsohlen schlagen. Ergo alapa dolo data, quales
 tamen in dubio præsumenda, quia factum hoc per se injuriosum,
 vid. Carpz. p. 4 c. 42. d. 7. Gail. 2. O. 106. Berl. p. 5. concl. 60. n. 13.
 tantum producit actionem injuriarum.

28

Quid vero, si quis iratus propter disciplinam alicui pal-
 mam dederit & eventu occiderit; Hunc quantum ad gratiam
 inno-

innocentem, quia voluntatem, non opus requirit; Quantum autem ad legem, reum, quia opera requirit, declarat *Hieronym. in can. 13. caus. 15. q. 1.* Scilicet ut extraordinaria aliqua pœnâ afficiatur.

Cæterum præcisè necessarium non est, ut quis in propriâ maxilla percutiatur, cum & injuriam patiamur per illos, quos²⁹ habemus in nostra potestate, §. 2. *Inst. de Injur.* Ergo si filiosam, alapa infligatur, haud dubiè pater poterit agere, injuriamq; ex sua persona æstimare *d. §. 2. Inst. de injur.* Quod si vero pater alapam ab aliquo acceperit, filius injuriam ex sua persona æstimare haud valebit, *Farin. q. 105. n. 2 & 8.* cum hic leges taceant, absq; quarum autoritate loqui erubescimus, *N. 18. c. 5. & pœnalia, ceu odiosa, sint restringenda, c. odia d. R. 7. in 6.* Sic si famulus in contemptum Domini fuerit alapâ affectus, Domino competet injuriarum actio, *per §. 3. Inst. de Injur.*

Porro dabitur marito actio injuriarum, si uxor alapam passâ³⁰ fuerit, *d. §. 2. f. de injur.* quod etiam procedit in sponsâ, cum ad sponsi contumeliam spectet, quæcunq; injuria sponsæ ejus sit, *l. 15. §. 24. ff. de injur.* modò tamen sciverit percutiens, fuisse sponsam, secus sola sponsa poterit injuriarum agere *l. 18. §. f. ff. d. e. ibiq; B. Brunner, in Comm. n. 8. seq.* Sed num etiam illi dabitur³¹ injuriarum actio, cui ex errore alapa inflicta? *v. g. Mevius palma percussurus Cajum, ferit Sempronium.* Distingvendum hic esse videtur, an Mevius justam causam habuerit alteri alapam infligendi, quia forte fuit pater, præceptor, Dominus vel maritus, quibus castigatio modica permessa est. Hoc casu puto, Mevium non posse à Sempronio injuriarum conveniri, propter textum in *l. 4. ff. de injur.* Sic enim Mevius non versabatur in re illicita, ergo nec tenetur de illo, quod præter intentionem contigit; & animus quoq; injuriandi cessat. Sed si Mevius jus alapam Cajodandi non habuit, haud dubiè injuriarum tenebitur propter *l. 18. §. 3. ff. de injur. l. 3. §. 2. fin. ff. eod.* Quid vero si infanti data fuerit alapa, an & tunc injuriarum actioni locus? Videtur quod non,³² quia infans non potest injuriam facere, ergo nec pati: Verùm consequentia hæc nulla est, nam injuria ex affectu facientis consistit.⁸⁵ Ideoq; & hoc casu actio injuriarum dabitur, uti clarè decisum in *l. 3. §. 1 & 2. ff. de injur.*

33 Ceterum mandans alapam infligi perinde tenetur ut mandatarius, si mandatum fuerit impletum, *per l. ii. §. 3. ff. de injur. l. 19. ff. ad L. Corn. de Sicar. l. 1. C. de Accusar.* Rei turpis enim mandatum non est, *l. 6. §. 3. ff. mand. §. 7. Inst. eod.* Sed quid si mandavero alicui, ut alteri det unam alapam, & hic dederit illi duas aut tres, vel gladio vulneraverit? Hoc casu mandans ratione excessus non tenetur, quia mandatarius fines mandati transilivit, & sic penitus aliud, quoad excessum, egisse videtur, *l. 33. in ff. mand. conf. Carpz. Pr. Crim. q. 4. n. 17. 18. Farin. q. 135. n. 150. seq.* Si modò fuit in potestate mandatarii fines non excedere, *Menoch. de A. J. Q. cas. 352. n. 3.* ut si mandaretur alicui, quò meretricem in facie fricaret, ut loquitur *Menoch. d. l.* & hic eam gladio vulneraret. Sed mandans vulnerare, tenetur etiam de occiso, quia ex vulnere mors facilè sequi potest, *vid. Carpz. d. l. Zaf. ad t. ff. Mand. n. 11.*

34 Propter alapam vero acceptam tam Civilem, quàm criminalem actionem intentare licet, quia de omni injurià vel civiliter l. criminaliter agere permissum, juxta §. in *Summa. 10. Inst. de injur.* una tamen alteram tollit, quia utraq; ad vindictam tendit, *l. 7. §. 1. ff. de injur. vid. Marant. in specul. aur. p. 4. dist. 1. n. 9.* Sed nunc videndum, ad quam jurisdictionem pertineat Alapæ cognitio? Respondendo distingvendo, an civiliter agatur, an criminaliter. Civiles enim causæ ad inferiorem, criminales ad superiorem jurisdictionem pertinent. Sunt vero criminales, quæ concernunt deminutionem vitæ, amputationem manus aut alterius membri, seu, ut loquuntur, *wenn die Klage Haut und Haar angehet*/quibus & fustigatio & relegatio annumeratur. *Erkold. ad t. ff. de jurisd. §. 2.* Ergo quoties alapa saltem carcere aut pecuniariâ poenâ afficienda, toties ejus cognitio ad jurisd. inferiorem pertinet. Ratio, quia ultra has poenas jurisd. inferior se non extendit. *vid. Carpz. Pr. Crim. q. 99. n. 14.* ubi tamen indistinctè, alapam ad inferiorem jurisdictionem refert. Sed quoties gravior poena, forte relegationis aut ultimè supplicii dictanda, toties Alapæ cognitio ad superiorem jurisdictionem spectat. Ratio, quia tales poenæ ad hanc jurisdictionem tantùm pertinent. Possè vero alapæ poenam eo usq; extendi, paulo post videbimus. Cete-

Cæterum carceris poena interdum etiam ad superiorem jurisdi-
 refertur, *vid. Carpz. quæst. 109. n. 62. seq.*
 Hactenus itaq; ostensum fuit, cui propter alapam detur in-
 juriarum actio, & coram quo iudice, superiore an inferiore, eadem
 intentanda sit, nunc subjiciendum restat, quæ poenâ alapa vindi-
 canda? Quæ cum in jure determinata non sit, arbitraria haud du-
 biè erit, quam iudex pro circumstantiarum ratione vel exaggera-
 bit vel minuet; nisi fortè Statuto certa poena alapæ sit dictata:
 uti legibus Longobardorū alapa sex solidis puniebatur, *vid. Tholo-
 san. Syst. Jur. Univ. l. 38. c. 3. n. 16.* Tunc enim iudex eandem ob-
 servare necessum habebit, quia est minister legis, nec eadem cle-
 mentiot, nec severior esse debet *l. 11. ff. de poen. N. 82. c. 10. l. 12. §. 1.
 in f. ff. qui & à quibus manumiss.* Et iudicis est secundum leges,
 non de legibus judicare, *c. 3. dist. 4.* Sed fingamus esse alicubi
 alapæ Statuto dictatam poenam 10. thalerorum, an ergo ille qui
 duas alicui impexit alapas 20. thaleris puniendus erit? Videtur
 quod non, quia unum videtur fuisse delictum, licet majus. Ergo
 sufficit una poena, *conf. l. 32. §. fin. ff. ad L. Aquil. l. 1. cum seq. ff. si
 fam. furt. fec. l. 10. ff. de act. empt.* Sed contrarium defendit *Duran-
 dus seu Speculator tit. de Sentent. libr. 2. §. 1. n. 13.* Scilicet tot debere esse
 poenas, quot alapæ, fundatq; se in *L. Quicumq; 14. C. de Serv. fu-
 git. L. Eum qui. 18. §. 1. ff. de injur. l. 38. pr. ff. de adulter:* Sicut alias
 dicitur in stipulatione fieri, per *l. Scire 29. ff. de V. O.* ubi tot sunt
 stipulationes, quot summæ. *Glossa* tamen ibidem ad *Speculat.* di-
 stinguit, an Statutum dicat, qui dederit alapam, an qui alapaverit.
 Sic priori casu secundum numerum palmarum, posteriori verò
 semel tantum puniendus percussor. Item porro *ibid. lit. F.* distin-
 guitur quoad poenæ multiplicationem, an species delicti sint ex-
 dem an diversa: Si illud, unum censetur esse delictum, & per con-
 sequens una erit poena, *l. 67. §. 1. ff. de furt.* nisi plures & contra
 plures personas delinquerent. Si hoc, scilicet si diversa species sint
 delicti, licet ex eodem facto continuato, tunc plura & diversa
 sunt delicta, *l. 38. pr. ff. de adulter.* Mihi distingvendum videtur,
 an quis alteri in continenti det plures alapas, an ex intervallo.
 Priori casu unum erit delictum, quia omnia quæ sunt durante

- & flagrante rixâ, consentur unum factum. *Bertazol. Constl. n. 30.* ideoq; una pœna; Posteriori casu, diversa erunt delicta, & consequenter pro singulis alapis pœna Statuti imponenda, *arg. l. 3. ff. ad L. Aquil.* ex qua colligunt: quando plura delicta diversis temporibus facta, de quolibet imponenda est pœna, secus si pluries delinquat uno impetu. *vid. Dn. Brunnem. ad d. l. 32. conf. Molin. de J. & J. Tr. 3. Disp. 41. n. 5. in f. Clarus §. ult. q. 84. n. 4. Covarruv. Tom. 2. Var. Resol. l. 2. c. 10. n. 8. nisi expressè in Statuto aliud dispositum. Molin. d. l. n. 6.* Et licet alias ex reiteratione delicti augeatur pœna, non tamen id procedit in pœna pecuniaria, *Bald. in L. Quicumq; 4. C. de Serv. fugit. n. 22.* Cœterum ex multiplicatione delicti, an multiplicetur pœna, *vid. Bartol. in l. insciando. 67. §. infans 2. ff. de furt.*
- 39 Porro hic una atq; altera quæstio examinanda venit, & primò quidem, num Statutum hoc de alapa loquens, etiam in mandante locum habeat? Prolixè hanc quæstionem in thesi pertrahat *Farinac. quæst. 135. n. 98. seqq.* ubi concludit quod non, quia mandans delictum non verè & propriè, sed fictè & per interpretationem facere dicitur. In Statutis vero verba propriè & strictè capienda, maximè in pœnalibus. Et licet mandans causam delicto dicatur dare, non tamen dat necessariam seu proximam, sed remotam. Hanc conclusionem tandem variè limitat *n. 119. seqq.* in specie tunc, quando Statuti verba sunt generalia seu communia & apta comprehendere & mandatarium & mandantem *n. 130.* Vel quando statutum aliàs redderetur elusorium, mandantisq; delictum impunitum. *n. 137.*
- 41 Deinde quaritur, num Statutum locum habeat in illo, qui saltem manum levavit, sed nondum percussit? Puto quod non, quia conatus non eodem modo ut effectus punitur, nisi in *Crim. Maj. l. 5. C. ad L. Jul. Maj.* aliisq; atrocissimis Jure Romano. Et qui saltem manum levat, nondum alapam incussit; Ergo nec alapæ pœnam sustinebit. Quia tamen ejusmodi admenatio, ita enim levatio manus dicitur, *Dn. Brunnem. ad l. 15. ff. de injur. n. 1.* Jam per se injuriola est, utilis injuriarum actio habebit locum, *per d. l. 15. §. 1. ff. de injur.* Quanquam vulgo alapa ipsa & admenatio pro iisdem reputentur,

Ter-

Tertiò quæritur, an Statutum tale obtineat, si quis in capite palmâ percutiatur, vel si maxilla pugno, vel nasus digitis feriatur? ⁴²
 Itidem puto quod non ex iisdem rationibus, quia tunc alapa non infligitur; Omne autem Statutum strictè capiendum & ultra casum, de quo loquitur, non extendendum, *Mev. p. 2. Dec. 40. n. 10. Gail. 2. O. 37.* Sed an hisce casibus gravior, quàm pro alapâ dictari poterit pœna? Hic certi quid determinare vix licebit; ⁴³
 sed prudens iudex omnia ex circumstantiis æstimabit. Sanè Talitrum seu illisio digitorum in nasum pro graviore injuria quàm alapa communiter habetur. Pugnum verò impingere levius puniebatur legibus Longobardorum, quàm alapa, cum pro hac 6, pro illo 3, saltem solidi fuerint solvendi, *vid. Tholof. Synt. Jur. univ. l. 38. c. 3. n. 16.* Et aliàs quoq; alapa pro graviore injuria quàm pugnus habetur, quia pueri alapâ percutiuntur, non pugno, *vid. Bajard. ad Clar. §. 1. n. 12.*

Sed quid juris erit in hoc casu: Titio dictatur propter alapam pœna 10. thal. Cui interroganti, annon mitiori pœnâ alapa ⁴⁴
 redimi possit, (ob eine Ohrfeige nicht weniger als 10. Thaler koste) responderetur à iudice, quod non. Quo audito, mox Cajus pœnam solvit in duplo, ipsiq; iudici alapam infligit. Numne hic graviore pœnæ subjiciendus? Videtur quod non, quia alapæ pœna Statuto jam est determinata, & ipsemet iudex edixit, non puniri aliâ, nisi dictâ pœnâ alapam. Verùm quia insignis hic concurrat malitia, frausq; legi fit haud levis, utiq; poterit iudex pœnam augere: Crescentibus enim delictis exasperandæ sunt pœnæ, *l. 16. inf. ff. de pœn.* Et de hoc casu cum Statutum condentes cogitasse non præsumantur, neq; statutum ultra Statuentium intentionem extendi debet, *arg. l. 29. ff. de reb. credit.* Imò & alias si quis iudici pro tribunali sedenti, vel officiali durante, ⁴⁵
 officio, alapam iafregerit, illum pœnâ mortis afficiendum haud pauci concludunt *ex l. 6. §. 1. ff. de re milit. ubi: qui manus intulit Præposito capite puniendus est. vid. Marant. in Specul. p. 4. dist. 1. n. 71. Tholofan. Synt. Jur. univ. l. 38. c. 3. n. 10. Clar. l. 5. §. fin. q. 68. n. 21. Farin. q. 17. n. 36.* ubi hanc opinionem communiter ab omnibus receptam dicit, *Job. de Arnon. in Sing. 13. Berlich. p. 5. concl. 66. n. 15.*

- Et quos *ibid.* longo ordine producit. Et licet ab horum sententia discedant *Carpz. Pr. Crim. q. 100. n. 23. Petr. Follerius in Addit. ad d.l.*
- 46 *Marant. Harprecht. ad §. 10. Inst. de injur. n. 22.* Attamen prior opinio non videtur adeo iniqua, si alapa detur judici vel magistratui contemplatione officii, *vid. Farin. d. q. 17. n. 38. circa fin.* quia partim lex clara est, nempe *l. 6. §. 1. ff. de Remilit.* partim, quia hac ratione ipsi Principi injuria infertur, cujus nomine & auctoritate talis Magistratus jus dicit, imò ipsum Principem representat, *Richter p. 5. Conf. 20. n. 39.* hinc & merito injuria talis ipsi Principi illata censetur, *Farin. q. 105. n. 199.* Et licet Magistratus injustè quid faciat, non tamen possum eidem resistere, *Farin. q. 125. n. 101.* Exinde satis patet, quodammodo crimen Læse Maj. committi, *arg. l. Sacrilegii instar. 5. C. de divers. Rescript.* Quod si vero Officiali ut privato alapa detur, forte in convivio vel alibi extra judicium, secus erit, *vid. Camill. Borellus consil. 24. per tot.*
- 47 Cœterum quod paulo ante de percutiente judicem dictum, idem sentiendum erit de illo, qui condemnatus propter alapam in certam pecuniæ summam, hanc in duplo numerat & adversario suo postmodum novam impingit alapam. Tunc enim malitia hæc gravius coerceri meretur, uti & alicubi locorum contigisse memini. Imò jam olim id generis mali homines reperti fuere,
- 48 qui ita poenas lege determinatas eludere. Sic etenim de Neratio, opibus potenti juvene scribitur, ipsum dum intellexisset injuriam alapâ alteri illatam 25. asibus redimi posse, pro delectamento habuisse, alapas obviam sibi venientibus infligere. Et hunc in finem servum habebat plenâ crumenâ se sequentem, qui alapam passo mox numeraret 25. asses. *vid. Speidel. in Specul. Jurid. voc. Maultaschen inf.* ubi addit, optimum remedium contra hanc petulantiam potuisse esse, si ipsi Neratio alapæ ab aliis inflictæ, eaq; itidem 25. asibus redemptæ fuissent. *add. Besold. Thes. Pr. ead. Voc.*
- 49 Dictum fuit superius alapæ poenam arbitrariam esse, ideoq; ex circumstantiis æstimandam. Nunc exempla quædam subjicienda restant. Maximè vero dignitas personæ patientis, & loci sanctitas delictum augent. Quo enim persona dignior, eo gravior erit

erit injuria ipsi illata, l. 7. §. ff. de injur. Qua ergo pœnâ affici merebitur, qui Principi suo alapam infligere non erubuit? Crimen hunc læs. Maj. committere, ideoq; pœnâ mortis afficiendum, dubio caret, cum sit scelus gravissimum uncto Domini impias manus inferre: Si scilicet id fecerit dolo & deliberato consilio. Interim tamen bonorum confiscatio locum non habebit, cum hæc saltem obtineat in Crimine perduellionis, uti patet ex *Aur. Bull. cap. 24. l. 5. C. ad L. Jul. Maj.* Quæ leges, ut odiosæ, ad alios casus nequicquam extendendæ sunt, per c. *Odia. de R. J. in 6.*

Alapam vero judici illatam qua pœnâ afficiendam velint Dd. paulò ante dictum. Sed quid si quis Sacerdoti alapam impigerit? Atrocem & hanc esse injuriam ostendit *Farin. q. 105. n. 195. ubi n. 206.* concludit, si tempore celebrationis divinatorum officiorum Sacerdoti alapa in Ecclesiâ inferatur, pœnam mortis locum habere. Pro alapâ vero aliâs Sacerdoti inflictâ, corporalem relegationem alicui dictasse Scabinos Lipsienses, testatur *Carpz. q. 100. n. 24.* Et Jus Can. talem anathematis vinculo subjecit, ita quidem ut non nisi ab ipso Rom. Pontifice absolvi queat, per c. *Si quis svadente Diabolo 29. caus. 17. q. 4.* Quod si vero Clerici habitu seculari appareant, pro Clericis minimè æstimandi erunt, sed pro talibus, quales vestitus innuit; ideoq; pœnas in d. c. statutas percussores minimè luent, vid. *B. Brunnem. ad l. 15. ff. de injur. n. 9. Mascard. concl. 849. n. 4.* Ex habitu enim præsumitur hominis qualitas, *Mench. de Præsumpt. l. 6. præf. 89. n. 5.* Et qualis quis sit, colligitur ex vestitu, *Mascard. d. concl. n. 2. add. Jac. de Bello Visu l. 1. c. 3. n. 23.* Idem obtinebit quoq; in aliis personis si ob simulatum vestitum alapis aut aliis injuriis fuerint affectæ, uti textus est elegans in *l. 15. §. 15. ff. de injur.* Quod si vero quis habitu Clericali qui tamen Clericus non est comparens, alapas acceperit, tunc pœna dictata percutienti Clericum locum non habet, vid. *Mascard. d. l. n. 6.* Plus enim hic est in veritate, quàm opinione.

Ex præcedentibus porrò fluit, eum qui Principem simulato vestitu usum injuriâ verbali aut reali ignoranter affecerit, pro reo Maj. nullatenus reputari posse. Sed ad quæstionem præ-

- 36 positam denno ut revertamur, videndum est, annon forte illum Sacerdotem alapa excepere valeam, qui convitiis in Religionis meae consortes invehitur? Puto quod minimè, quia adversarii argumentis, non alapis refutandi sunt, & quidem ab iis quibus hoc convenit. Et quid causæ alterum commovit, ut adversarium concionantem audiret. Hinc si ausus fortè fuerit tali alapa infligere & eventus subsecutus parum fuerit felix, sibi id imputabit. Damnum enim quod quis sua culpa sentit, sentire non videtur, *l. 203. ff. de R. J.* Et licet hoc justo Religionis Zelo videatur fieri, vindicta tamen erit privata, quæ jure permessa non est, *vid. sup. n. 10.* Quin & concedamus, inferri illi simul injuriam, cujus Religionis consortes convitiis lacerantur; Verbalis tamen erit, quæ reali minimè compensanda. *Farinac. q. 125. n. 98.*
- 58 Cæterum quando Sacerdotes seu Concionatores injuriarum conveniri possunt, *vid. Dn. Brunnem. Exerc. ad Inst. 25. §. 1. in med. Struv. Exerc. 48. lb. 56. ubi Dd. in partes vocat;* Et maximè quidem tunc id fieri posse volunt, quando Sacerdos intermisit denunciationem Evangelicam, quæ habetur *Matth. 18. v. 6.* nisi forte delictum sit publicè commissum. *conf. c. 19. caus. 2. q. 1.*

Vasallum si Domino feudi alapam dederit, feloniam committere, ideoque feudo privari posse, dubium non est, cum ita gravi injuriâ Dominum afficiat. Textus clarus est *2. F. 24. §. 2. vers. Porro.* Extendunt hoc Dd. ad casum quando manus saltem contra Dominum levavit, *vid. Dn. Pras. Exam. jur. Feud. c. 23. q. 5. Ludw. Synops. feud. p. 327. Vultej. de Feud. l. 1. c. 11. n. 25. in fin.* Quamvis enim ita poenitentia ductus desistere videatur; attamen cum levatio manus animo percutiendi alterum, jam per se injuriam inferat, *per l. 15. §. 1. ff. de injur. c. 13. dist. 1. de Poenit.* non liberabit Vasallum, quod percussio non fuerit secuta. Contrarium tamen placet *Sebrader. de Feud. p. 9. c. 4. n. 48.* Quod admittendum forte esset in illo casu, si sponte destiterit atque poenituerit. Nam si casu, aut ob aliud impedimentum interjectum, percutere Dominum intermiserit Vasallus, sanè excusandus non erit, *vid. Rosenthal. de Feud. cap. 10. concl. 20. n. 54.* An verò sponte destiterit vasallus, id ex circumstantiis arbitrio judicis dimetiendum erit.

erit. Idem puto esse, si Domini uxori l. sponsæ, vel filio l. fa- 60
mulo in contemptum Domini alapam dederit Vasallus; quia
per has personas Dominus etiam patitur injuriam, uti superius
ostensum. Limite præcedentia, si Dominus vestitu sibi non con-
venienti fuerit usus, vel inter homines nauci repertus, & ira à 61
Vasallo, ignorante Dominum esse alapam acceperit, *arg. l. 15. §. 15. ff. de injur. ibiq. Dn. Brannem. in Comment. n. 9. in f.* Perinde
verò est an vasallus ipse Domino det alapam, an verò id per a-
lium faciat. *Vultej. d. l. n. 25.*

Porro si militi fuerit alapa inflictæ pro longè graviore in- 62
juria æstimatur, quàm si alii personæ. *Fichard. l. 2. consil. 117. n. 8. Farin. q. 125. n. 361. Et q. 105. n. 207. seqq. Mascard. concl. 1131. n. 4.*
imò pro graviore offensâ reputatur quàm vulnus, *vid. supra n. 2.*
Namq; pueri alapis tractandi, ne utiquàm verò bellatores fortes.
Ideoq; gravior pœna hic dictanda erit. Hinc Statutum im. Hol-
ländischen Krieges-Recht *art. 34. wer jemanden eine Maulschelle*
giebet / sol in Gegenwart der Compagnie von dem der daran inter-
essiret ist / wieder ein dergleich empfangen / und darzu außgezogen
und auß der Compagnie verbannt werden. Simile fermè in Sax.
Elect. constitutum, ubi Duella Speciali Edicto severissimè prohi- 63
bita; ut tamen alapam passus remedio famam recuperandi, non
destituatur, cautum est, ut percutienti iterum alapa per carnificem
infligatur. Militibus hisce æquiparandi videntur Advocati
ut scil. alapam ipsis data etiam graviore pœna vindicari
mereatur, quam si aliis vilioris conditionis hominibus in-
fligatur, qui Reipubl. perinde prodesse nesciunt; idque
propter elegantissimam *L. Advocati 14. C. de Advoc. divers.*
jud. Et in specie de *Dd. vid. Farin. q. 105. n. 103.* Idem in- 64
Studiofis juris, pro quibus eadem ratio militat intuitu vitæ fu-
turæ, *conf. que habet in aliis quidem terminis Dn. Præsid. Tr. de*
Jur. Sens. Diss. 3. c. 2. n. 10. seqq. Insuper si patri filius alapam
inflixerit, non modò exhæredari poterit per *N. 115. c. 3. vid. supra*
c. 2. n. 17. seqq. Sed & extraordinariâ pœnâ affici, & hodie ple-
rumq; carcere l. relegatione l. manus amputatione, *vid. Carpz.*
q. 100. n. 35. Wesenb. ad L. Pomp. de parricid. n. 12. De Jure autem 65

o Divino ejusmodi filius morte mori debet, *Exod. 21. vers. 15. Levit. 20. vers. 9. conf. & can. 20. dist. 86.* Et generaliter quoties quis illi alapam dat, cui reverentiam debet, toties alapæ pœna ex asperanda; licet prius fuerit percussus; his etenim personis quales sunt filius, subditus, discipulus, servus, uxor, nequaquam resistere licet percipienti, *conf. Farinac. q. 125. n. 101. seqq.* cum ipsos saltem obedientiæ gloria maneat. Quod tamen aliàs limitandum, nisi pater, magister, Dominus, maritus & alii quibus reverentia debetur, atrociter & animo occidendi percuterent & vulnerarent. *Farin. d. l. n. 111.* His enim casibus respectus ille merito exulat, cum v. g. pater non amplius patris, sed homicidæ vicem subeat. Et sic quamcunq; injustam vim vi repellere permixtum, *l. 3. ff. de Just. & jur.* Et sic delictum non committo, sed delictum quod alter in mea persona perpetrare volebat, avertō. Porrò & donatio propter alapam revocari potest. *l. f. C. de revoc. don.*

66 Ita breviter vidimus in uno atq; altero exemplo, quomodo ratione personæ patientis, alapæ pœna exasperari queat; Nunc quidem facillè quoq; exempla subjungi possent, quomodo ratione agentis pœna diminuenda sit, ut si vir gravis & in dignitate constitutus vili personæ alapam impegit, maximè ex causa præcedente, *vid. Berlich. p. 5. concl. 64. n. 30.* Quamvis enim ab injuriarum actione ne talis quidem persona immunis sit, propter *l. Nec Magistratibus 32. ff. de injur.* facilius tamen eidem igno-

67 sci poterit. Sed brevitatè ergo hoc saltem addo, posse ulterius intuitu loci augeri alapæ pœnam, utpote si alicui infligatur in curia, in foro, (*vid. Richter. p. 5. consil. 22.*) in templo, in theatro, in conspectu hominum, *vid. l. 7. inf. l. 9. §. 1. ff. de injur.* Et in specie si in Ecclesiâ alicui fuerit alapa data, *vid. Faris q. 105. n. 6. & 208.* ubi habet, Nobilem quendam Neapolitanum, qui famulo alicujus, provocatus ab eo, alapam dederat in Ecclesia, exilio, per bimestre fuisse punitum. Maximè vero tunc exasperanda erit pœna, si alapa sub sacrorum celebratione fuerit alicui impacta sicq; excitatâ turbâ auditoribus scandalum datum.

68 Deniq; hic quæritur, an si quis cautionem de non offendendo præstitit; eadem per alapam rumpatur? Tractat hanc quæstionem prolixè sæpius laudatus *Farinac. Prax. Crimin. q. 107.*

ubi

ubi n. 215. rationes dubitandi & Autores negantes adducit, ex ratione, quod ex alapâ non inferatur gravis injuria nec damnum; Promissio verò de non offendendo intelligatur saltem de gravi offensa. Sed his rationibus respondet n. 216. seqq. contrariamq; opinionem defendit, quam & merito amplectendam puto, cum per alapam sat gravis offensus inferatur. Hinc facile erit colligere an jus Gentium lædatur, si Legato alapa infligatur. Quod haud dubie affirmandum, si Legato qua tali, id generis injuria inferatur, secus si extra terminos legationis in lites cum aliquo incidat, & horum occasione alapas fortè accipiat. Ita ante annos non adeo multos Regis Galliæ Legatus *Devant la Haye* à Magno Vezirio Imperatoris Turciæ alapam reportavit. *vid. Legation. Comit. de Leslie, part. 3. pag. 280. a Paulo Tasfernero descript.*

Coeterum poena propter alapam prius dictari nequit, quam ⁶⁹judici probetur reverà esse alicui alapam inflictam; Actore enim non probante Reus absolvitur l. 4. C. de Edend l. ult. C. de R. V. Hinc quæritur, utrum etiam per testes de auditu possit alapam probari? Videretur quod sic, quia potuit testis audire sonum, quem alapa vehementior excitare solet. Enim verò quia alapa magis objectum visus est, quàm auditus, & quilibet testis rationem sui asserti ex proprio sensu afferre debet, *vid. Dn. Prasf. Tr. de Jure Sens. Proem. n. 28. & 29.* concludo, alapam per testem de auditu certò probari non posse. Nam licet interdum alapam sonus aliquis comitetur; hoc tamen non fit semper: Et qui de sonu deponit, quomodo quæso poterit esse certus, an fuerit sonus ex alapâ natus, an vero aliunde, fortè ex collisione manuum? Hinc licet fatear, posse interdum aliquid conjecturarum ex tali de auditu testimonio desumi, maxime si audiverit rixantes, & postmodum ejusmodi sonum, qualem quandoq; alapæ excitare solent: Tamen quia alapa ipsa non incurrit in sensum auditus, sed tantùm visus, dubium manet tale testimonium & obscurum, minimè vero luce meridianâ clarius *vid. Dn. Prasf. d. Tr. Diss. 3. c. 1. n. 26.* Jura vero ex præsumptionibus quæpiam condemnari non patiuntur, l. *absentem 5. ff. de pæn.* Sed probationes potius luce meri-

dianâ clariores desiderant. *L. ult. C. de probat.* Ergo cœcus inhabilis erit testis quoad alapam. Imò & aliàs communiter cœcus à testimonio repellitur, *can. Testes 15. causi. 3. q. 9. l. 18. C. de testib.* ubi visus & præsentia in teste requiritur, qui autem non videt, nec præsens esse intelligitur, testiumq; potissima ratio in eo esse debet: quia vidi. *Conf. Dn. Præses de Jure Cæcor. c. 4. n. 22.* ubi *num. seqq.* pro more, id est, accuratissimè docet, quando & in quibus causis testimonium cæcorum admittatur. An verò iudici ex officio in alapæ autorem inquirendum, hic quidem disquiri possit, sed breviter me expediam hac distinctione, an alapa sit inflicta personæ in officio publ. constitutæ, forte Sacerdoti, ut inde scandalum publ. oriatur, quo casu sanè congruet officio iudicis inquerere in delinquentem, per *l. Congruit. 13. ff. de offic. Præsid.* Quòd si verò personæ tantum privatæ alapa fuerit impacta, & hæc acufare desistat, iudex non rogatus officium suum non impertiet, *l. 4. §. 7. ff. de damno infect.*

70 Sed sufficiant hæc de alapâ in medium protulisse. Te interim B. L. rogatum volo, ut benigniorem de Alapa sententiam feras. Et si fortasse unum atq; alterum casum aut quæstionem parùm accuratè me decidisse aut resolvisse deprehenderis, id iudicio Tuo, cui libenter me subjicio, corriges, memor me Exercitium Academicum, non verò Decisiones conscribere voluisse, ideoq; ingenio nonnihil indulxisse. Tibi verò Optime Salvator, qui summè innocens, patientissimè tamen Alapas, flagra, imò & ipsam mortem pro nobis pati sustinuisti, grates offero sempiternas, quod Tuo suffultus auxilio & huic de Alapâ Exercitio imponere valeo

FINEM.



Ascula ceu triplex soboles minus obvia,
rarus

Sic favor ac ingens Jus comitatur eam.

Publica namq; Virum stat res fulcimine nixa,

Vir Patriæ decus est, Vir Patriæq; salus.

Ingenio quanto plus est, quàm corpore niti,

SEIDELI, tantò plus memorandus eris.

Duplicè Te celebrat monumento masculus ardor,

Nunc patriæ nifu triplice notus eris.

Num calcare adigam, num Te remorabor habenâ?

Hoc consummatæ sedulitatis opus.


Incluta mercedem geminatham BRESLA refundet,

Tu Studiis hanc, Te laudibus illa colet.

*Clarissimo Dn. Seidelio jam tertium in
Catbedra juridica Disputanti*

ita gratulatur

Samuel Strykius D.



Ingenii quæ dona tui sint cætera, Fautor,
Juribus ex *Alapa* dilcere quisq; potest.

Haud

Haud *Alapam* sensisse juvat, prodest docuisse;
Ex *Alapâ* tua sic fama perennis erit,
I nunc, *Seideli, DELIUS* (*) qui *ES* Juris in Arte,
Cumq; *Alapâ* Patriæ cætera dona sacra?


(*) *Seidelius per anagr. I, Delius ES.*

Petrus Schultz, D.



Faint, illegible text, possibly a title or heading, appearing as a ghostly impression on the page.





Ka. 3722.

[7]

f




56r

V. 17

[Handwritten signature]







4

SERTATIO JURIDICA
DE

APPA

QUAM
E NUMINE SUPREMO

CTORUM IN ILLUSTR I HAC
A ORDINIS PERMISSU

PRÆSIDE

CANO SPECTABILI

ELE STRYKIO, J.U.D.

AT. CÆSAR. ET PANDECT.

ORE PUBLICO ORDINARIO.

O, PROMOTORE ATQUE PRÆ-
ÆTATEM DEUENERANDO

AUGUST. ANNO M. DC. LXXV.

EMERIDIANIS CONSUETIS

O ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

AUTOR

TOPHORUS Seidel /

OLSNA SILES.

NCOFURTI AD VIADRUM,

NNIS ERNESTI, ACAD. TYPOGR.